ANNALES

ACADEMICI.

CIƆIƆCCCLVIII—CIƆIƆCCCLIX.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO J. C. DRABBE. | PROSTAT APUD E. J. BRILL.

1862.

Quae hoc Annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. IX FEBR. CIƆIƆCCCLVIII AD D. VIII FEBR. CIƆIƆCCCLIX

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

IOANNES HENRICUS STUFFKEN.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

FREDERICUS KAISER.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. H. STUFFKEN.
I. BAKE, quantum aetas et valetudo sinebant.
A. RUTGERS.
T. G. I. IUYNBOLL.
C. G. COBET.
R. P. A. DOZY.
M. DE VRIES.
I. G. HULLEMAN.

IN FACULTATE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN.
G. C. B. SURINGAR.
F. G. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS.
H. HALBERTSMA IUST. FIL.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. G. TYDEMAN, quantum aetas et valetudo sinebant.
C. I. VAN ASSEN.
H. COCK.
I. DE WAL.
S. VISSERING.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, quantum aetas et valetudo sinebant.
N. C. KIST.
I. H. SCHOLTEN.
A. KUENEN.
I. I. PRINS.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. I. VERDAM.
F. KAISER.
P. L. RYKE.
F. W. R. SURINGAR, Prof. extraord.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord.

I. A. BOOGAARD, in Theatro anatomico Prosector.
C. A. X. G. F. SICHERER, Lector German. Literarum.
H. ATTWELL, Lector Anglic. Literarum.

ORATIO

DE

MODO QUO EXPERIENTIA OMNIS NOSTRAE COGNITIONIS FONS SIT HABENDUS UNICUS,

QUAM HABUIT

IOANNES HENRICUS STUFFKEN,

D. VIII M. FEBRUARII A. CIƆIƆCCCLIX,

QUUM ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE MAGISTRATUM DEPONERET.

AUDITORES HUMANISSIMI, SPECTATISSIMI!

Constat inter omnes veteris Philosophiae non prorsus ignaros, antiquissimos Graecorum Philosophos in rerum inquisivisse naturam, mentem vero humanam non explorasse, neque ad viam, quae ad rerum cognitionem ducat, animum attendisse. SOCRATI autem Dialectices initia debentur, quam excoluere postea PLATO et ARISTOTELES. PLATO a rebus in sensus cadentibus, quae hominum vulgo esse videntur, eas distinxit, quas solas revera esse dicebat, sensibus non percipiendas, sed mentis tanquam oculis contemplandas. Eorum autem, quibus universa PLATONIS doctrina non placebat, multi hactenus illi assenserunt, ut aut cognitioni e singularum rerum consideratione oriundae longe praeferrent eam, quae soli rationis debeatur luci, aut hanc unam scientiae nomine dignam iudicarent. Sed ut PLATO statuit ad rerum adspectabilium notitiam sensuum perceptione opus esse, ita etiam hi non negant rationem experientiae uti adminiculis ad copias in sinu suo reconditas in lucem proferendas.

Omnes igitur fere in eo consentiunt, sine accurata rerum inquisitione nihil sciri posse: eorum autem numerus magis magisque accrevit, qui viam, quam experientiae dicere solemus, tanquam unice veram consectarentur. Neque tamen hodie desunt, qui experientiae opponant, quam dicunt, speculationem, rationem scilicet aut magis aut unice philosopham. Praeter eos, qui nihil verum certumque existimant, nisi quod aut sensui externo internove debeatur, aut iusta inde ratiocinatione eliciatur, sunt nonnulli, qui his terminis rerum scientiam finitam esse nolint, mentis propriam esse supellectilem arbitrantes. Alii rursus omnia, quibus scientiam nobis comparamus, ipsis rebus sensu perceptis, alii nonnulla mentis actioni adscribunt.

Quae quum ita sint, cogitanti mihi, quid potissimum argumenti eligerem, de quo magistratum academicum depositurus dicerem, se obtulit quaestio, quomodo experientia omnis nostrae cognitionis fons sit habendus unicus. Quae quidem quaestio et a mea persona non est aliena, et ad omnes artium disciplinarumque cultores pertinet. Vos, auditores, me hac de re dicentem benigne, quaeso, audite, pro humanitate vestra conniventes in erroribus sive rationis, sive orationis, quibus captus esse deprenhendar.

Memorabam eos, qui experientiae opponunt speculationem. Quod attinet ad illam, non eam dico experientiam sive ἐμπειρίαν, cui ARISTOTELES medium inter sensum et artem scientiamque locum attribuit. Sensus, ex eius sententia, cognitionis praebet semina, unde tam memoria quam experientia nascitur. Haec cum arte et scientia nonnihil habet convenientiae, inter se tamen differunt. Nam experientia ad singula spectat, ars et scientia ad universa. Sed experientia ad germanam scientiam perducit eum, qui ea recte utitur. Non reapse igitur, sed verbo tantum ARISTOTELES discrepat ab iis, qui hodie omnem scientiam ab experientia profectam seu empiricam esse contendunt.

Neque eam dico speculationem, cui antiquiores se dabant Philosophi. Hi enim omnem accuratiorem rerum indagationem hoc nomine appellabant, ac speculari et philosophari erat iis prorsus idem. Postea autem hoc vocabulo designari coepit singularis quaedam disputandi verique inveniendi via, quam ingressi non rebus explorandis, sed vi menti insita ad verae scientiae arcana penetrare conabantur. Philosophi, qui hanc methodum sequuntur, quamquam ultro fatentur experientiam ad singularum rerum cognitionem esse necessariam, nec verum esse quidquam, quod rebus ex hoc tanquam fonte haustis repugnet, contendunt tamen non experientiam, sed unam rationem Philosophi esse magistram.

Qui naturae historiaeve se dedit studio, cognitamque habet viam, quae in utroque ad verum reperiundum ducit, nec tamen animum attendit ad cognoscendi principia maxime generalia, mirabitur fortasse, esse quosdam, qui alium praeter experientiam ad cognitionem aditum esse sibi persuaserint: nihil enim ei pro certo habendum esse videtur nisi quod rite perceptum exploratumque sit, aut legitime ex hoc quasi fonte derivatum. At-

tamen non est mirum esse quoque, qui nonnullarum rerum scientiam aliunde petendam esse existiment. Nam praeter res in sensus incurrentes tales etiam animo obversantur, quae a sensibus sunt remotae, quarum tamen non omnis notitia negata nobis videtur. In omnibus gentibus paulo cultioribus fuere, qui rerum omnium naturam et originem explorarent, et ad quid homines geniti essent investigare studerent. Multi populi a maioribus acceptam coluerunt doctrinam de vita animi post mortem corporis, de Deo deque eius cum hominibus coniunctione et hominum erga Deum officiis. Divinam religionis Christianae originem multi Theologi historicis defenderunt argumentis: sed eorum etiam, qui ad religionem vindicandam historiam testem adhibendam censebant, multi argumentis quoque aliunde petitis hac in re opus esse viderunt: nec profecto defuere, qui in rebus ad Dei cognitionem religionemque pertinentibus nullius auctoritate standum esse, aut certe per fidem ad intellectum progrediendum esse existimarent. Hos omnes, quantumvis ceterum inter se discrepantes, hactenus convenire, ut omnem cognitionis materiem sensibus inesse negent, manifestum est. Theologiae autem, quam dicunt, naturali, rerum sensu externo internove percipiendarum causam absolutam quaerenti, nonnulli opposuerunt Theologiam speculativam sive rationalem. Rationem nempe illi disiunxerunt ab intellectu. Huic attribuerunt rerum finitarum distinctionem, eamque illarum cognitionem, ut quo ordine sint dispositae, quo inter se cohaereant modo, seseque subsequantur, intelligamus: illi, quippe summi numinis imagini, sublimiorem assignarunt scientiam, non singulis perscrutandis acquisitam, sed ex ipsius luce enatam. His quidem non sunt annumerandi, qui notiones entis, unius, eiusdem, substantiae, causae et huiuscemodi alias, ad cognitionis formam spectantes, cum LEIBNITIO aliisque, menti ipsi vindicant. Sed propius ad sententiam, quam commemorabam, accedit novae Philosophiae parens CARTESIUS. Hic, quum animo in se converso inter ceteras ideas sibi insitas invenisset illam, quae substantiam quamdam infinitam, independentem, summe intelligentem summeque potentem, omnium rerum creatorem exhiberet, hanc nonnisi a Deo ipso proficisci potuisse demonstrare conatus est: nec dissimili modo ratiocinati sunt, qui Philosophiam CARTESII probabant. Animis eorum obversabatur quod postea CARTESII admiratores explicarunt dicendo, rationem nostram, cui insint spatii temporisque infiniti,

itemque ordinis, boni, pulchrique absoluti notiones, rebus finitis omnibus esse superiorem, Deumque esse in nobis, *τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον*. Natura Dei CARTESIO, qui eum ratione cognitum esse putat, est argumento, veritatem nobis esse patefactam; tum demum autem verum nos percipere ait, quum quid clare distincteque perceperimus. Quod quum non cadat in ea, quae sensibus debemus, consequens est, magnam rerum physicarum partem scientia comprehendi non posse. „Plane profiteor," inquit, „me nullam aliam rerum corporearum materiem agnoscere, quam „illam omnino divisibilem, figurabilem et mobilem, quam geometrae quan„titatem vocant et pro obiecto suarum demonstrationum assumunt, ac „nihil plane in ipsa considerare praeter istas divisiones, figuras et motus." Sed ex hac, quam sibi informaverat, substantiae corporeae notione efficiebat alia, velut nullum esse spatium vacuum, nullas esse atomos, mundum esse unum et infinitum. Porro, ut denuo eius verbis utar, causas omnium, quae sunt aut esse possunt, invenire conatus est in mundo ad Deum solum, qui ipsum creavit, attendendo easque aliunde non educendo quam ex quibusdam veritatis seminibus animis nostris a natura inditis. Sed in conatu substitit nec rem peregit. Vere HEGELIUS dixit, methodum, quam speculativam vocat, cuius usu quis certa quadam via ac ratione ab una notione ad ceteras progrediatur, a FICHTIO demum in Philosophiam esse introductam. Eius autem perfectio ipsi debetur HEGELIO, qui ad omnes eam adhibuit Philosophiae partes.

KANTIUS a sensus externi internique perceptione tum visionis formas, tum eas, quibus intellectus in digerendis connectendisque visis utitur, distinxerat, vocabulo ab ARISTOTELE sumto, eas nominans Categorias. Mentem humanam earum esse fontem ostenderat, nihil autem iis percipi nisi accederet sensus. FICHTIO contra Philosophia est scientia, quae extrinsecus assumit nihil et ex unico principio reliqua ducit omnia. HEGELIO autem non satisfecit; quamquam disputandi ratio, qua ille utitur, habet in quo cum FICHTIO conveniat. Methodum suam dialecticam vocavit. Est illa, HEGELIO auctore, non alia quam rei, quae vere e s t, ipsius: vere autem e s t quod absolutum est, i. e. idea absoluta, sive ratio, quae separatim considerata a categoriarum logicarum complexu non differt, diffusa autem est per naturam, cuius est veritas, unde sui nacta conscientiam ad

se revertitur. Philosophia, illo iudice, considerat rationis motum diversosque, quibus ea progreditur, gradus; et ratio hactenus conferri potest cum corporibus viventibus, quod se evolvenda mutatur, nec tamen a se ipsa recedit: hactenus vero inter se discrepant, quod nihil aliunde sumit ratio, sed omnia sua ex se ipsa procreat. Ratio autem, cui res omnes subiectae sunt, quum sit eadem atque illa, quae in nobis cogitat, in promptu est, quî fiat, ut Philosophus hac bene usus scientiam consequatur. Rerum enim dialecticam methodus philosophandi dialectica imitatur. Ab eo, quod non cogitari non potest, initio sumto, pergit ad notionem contrariam prioremque negantem: negationis denique negatione prior, sed nunc amplificata, restituitur. Notione enim, quae ex priore orta est, cum hac collata, apparet ambas esse partes tertiae utramque sublimiori, quam vocant, unitate complectentis. Ad hunc modum rationis purae partes, neque logicae tantum categoriae, sed naturae etiam mentisque in lucem vocantur. Fatetur sane haec Philosophia ad omnia cognoscenda usum rationis non sufficere; obstare enim praeter alia quod multa accidant fortuito: neque eo procedit arrogantiae, ut contendat, Philosophum, si experientia caruisset, verum nihilominus deprehensurum fuisse: sed quoniam *τὰ ὄντως ὄντα* sunt *νοητὰ* et *τὰ νοητὰ* vicissim *ὄντως ὄντα*, ea, quae revera sunt et ex ratione manarunt absoluta, se produnt Philosopho, rationis viam i. e. methodum dialecticam vereque speculativam sequenti.

Hegelii auctoritatem extra Germaniam pauci, Germanorum satis multi secuti sunt: sed inter hos quoque nactus est adversarios, qui luculenter demonstrarent, viam, quam ille rationi tribueret, sanae rationi adversam esse; quae autem dialecticae suae adscriberet aliunde esse derivata. Admiranda profecto fuit hegelii sagacitas, multisque rebus lucem attulit; sed hoc non methodo debetur ab illo inventae aut emendatae, verum ingenio illius doctrinaeque insigni. Philosophia tamen eius documento fuit, eum, qui hac via verum investigare studeat, oleum et operam perdere.

At sunt, qui etsi perspiciunt, absolutam, quae se iactat, philosophiam promissa sua non solvere, adduci tamen vix possint ut fateantur, experientiam omnis scientiae unicum esse fontem. Et summo quidem iure id negarent, si omnia, quae experientiae tribuimus, ex sensuum repeteremus perceptione. Constat enim notitiam nobis inesse talium quoque rerum,

2*

quae sensus movere prorsus nequeant. Verumtamen hoc etiam certissimum est, notitiam illam, quamquam non ex sensuum perceptione oriundam, non sola mentis exstitisse actione. Cognoscendi materiem praebuit ipsa mentis natura, quam conscientiae intuemur oculis. Nulli corporis sensus mentis actiones nobis monstrant: sed ipsa eas mens percipit et interiori experientia cognoscit.

Sed missis his, quos vocis ambiguitas decepit, restant alii iique a philosophia postremum memorata alieni, qui tamen, ne religio aliquid detrimenti capiat, experientiam omnis scientiae fontem esse unicum confiteri gravantur. Existimant enim, nec sane iniuria, nisi aliqua mentibus insit Dei notitia, nullam esse religionem vere sic dictam, nec spem immortalitatis satis esse firmam, si qualis animi sit natura penitus nos lateat: in experientia autem hic parum esse praesidii. Hi igitur aut statuere coguntur omnem, quam habeant, rerum divinarum notitiam ab una singulari Dei profectam esse patefactione, aut assentiri quodammodo iis, a quibus hac in re ipsi dissentiunt.

Si autem constat sine rerum externarum internarumve perceptione percipi omnino nihil, fieri non potest, quin intelligamus, multa, quae haud paucis satis aperta videantur, tenebris esse abscondita, nostraeque de his rebus persuasioni scientiae nomen non congruere. Alia rursus revera tam sunt perspicua, ut sine ullo negotio ea cognoscamus et reperiamus nostra de illis iudicia esse vera. At quaenam cogitationes vel enuntiationes per se satis sunt certae? Eae tantum, quae analyticae in scholis vocantur. Et quaenam nulla aliena indigent ope, ut falsae esse arguantur? Quae secum aperte pugnantia coniungunt. Per se autem, sive sola cogitatione, nihil nobis cognitum est, nisi quod axiomata, quae proprie et vere dicuntur, continent, aut quae inde sequuntur. Cetera vel notissima, et de quibus nemo, nisi insanus, dubitare potest, sine ulla exceptione uni experientiae debemus magistrae. Cur autem res efficiant id quod cernimus, non vero alia omnia, illud nos penitus ignorare confitendum est. Futura cogitando praecipimus: sed quorum nulla est experientia, eorum nulla est certa provisio. Disciplinae physicae multorum industria et ingenio mirifice sunt excultae: incrementa autem, quae cepere, diligenti naturae investigatione parta sunt omnia.

Neque alia disciplinarum moralium ratio est. Concedo has non adeo

atque illas amplificatas esse et perfectas: nec difficile intellectu est, cur non pari passu progressae sint. Disciplinae autem, quae inquirunt in animi humani naturam, quae tractant quaestiones de iusto, bono, pulchro, vel de hominum societate, unde profectae sunt, nisi ex iis, quae animo humano perscrutando cognoscimus? In his disquirendis et necessitatem agnoscimus, qua in cogitando, volendo, agendo constricti sumus, et normam, ad quam ultro cogitationes nostras et facta ipsi exigimus. Sed quae nostra sunt, quae sunt veluti fons omnium, quibus in nobis excolendis rebusque agendis utimur, haec ipsa, quamvis non extrinsecus nobis obiiciuntur neque sensus nostros afficiunt, mente tamen eorum sibi conscia percipiuntur.

In sententiam de cognitionis humanae origine, quam paucis complexi sumus, non convenit Sensualismi nomen. Huic enim quidquid mens volvit ex sensuum perceptione ortum videtur. Neque Empirismi convenit appellatio. Nam quamvis, si vera est nostra sententia, ea tantum, quae offeruntur homini, ab illo cognosci possint, vetat tamen illa in experientia veritatis quaeri iudicium. Quod qui fecerunt, ii, ut speculativae methodi evitarent errorem, in contrarium mihi incidisse videntur, et quae rationis sunt ad experientiam retulisse. Sed paulo accuratius iam videndum est, quinam experientiae fines sint constituendi. Qua quidem in re KANTII, qui in primis hunc locum illustravit, ratio est habenda.

Philosophiae theoreticae KANTII mentione iniecta prae ceteris menti obversari solet decretum, res ipsas homini prorsus esse absconditas nullamque esse scientiam theoreticam nisi *τῶν φαινομένων*. Argumenta, quibus in hac re usus est, sexcenties sunt reprobata atque etiam refutata. Et sane, si in hanc sententiam eundum esset, simul confiteri deberemus, neminem umquam scire posse, an veri aliquid perceperit. Sin autem hoc sciri nequit, frustra etiam laboret necesse est is, qui in cognitionis natura et origine explicanda operam collocaverit: neque KANTIUS ipse sperare potuit, se certi aliquid reperturum fuisse. Eorum vero, quae praecepit de partibus menti humanae in omni cognitione tribuendis, longe alia est ratio. Iam pridem perspectum fuerat sensibus non percipi res ipsas, sed ea percipere animum, quae vi sensuum rerumque consociata gignantur. Sensus autem quum moventur, accipimus aliena, sed ubi rerum notitiam comparamus ipsi in actione versamur. Vel res singulae ne leviter quidem

percipi possunt, nisi mentis ad hoc opera adhibita. Movetur animus eas a contiguis discernens earumque partes et proprietates cogitatione comprehendens. In hoc animi motu temporis spatiique nascuntur notiones. Fieri enim non potest, ut motum cogitet animus, quin has, quas KANTIUS visionis formas nominavit, ex sinu suo proferat. Quod non ita intelligendum est, ac si, quod Philosophus acutissimus voluit, de suo rebus tribuat, quod illis deest, sed mentis actione percipi, quod e sensibus peti nequeat. Idem dicendum est de iis, quae categoriae appellari solent et normae sunt quaedam, ad quas res animo oblatas exigimus et inter se distinguimus, et quaedam quasi vincula, quibus eas inter se colligamus. Nam hae quoque ita nobis sunt propriae, ut a rebus non sint alienae. Menti sunt rebusque communes, atque hac communitate fit, ut res non sensus tantum afficiant, sed intelligi possint. Similia enim, ut veteri in proverbio est, similibus cognoscuntur. Nisi enim statuere velimus cum nonnullis superioris seculi philosophis, omnem nostrae mentis actionem constare sensatione, quam vocabant, aut primigenia aut transformata, et cogitandi ac sentiendi negotia eodem plane redire, concedendum est, menti praeter sensus alia cognitionis adiumenta esse. Sed nulla sunt praeter ipsam cogitandi vim, quae cernitur in rebus ope categoriarum digerendis copulandisque.

Quod quidem ad causae categoriam attinet, iam HUMIUS ostendit, rem alteram altera effici, sensu non comprehendi. Et re paulo accuratius perpensa intellectu facile est, res mutandi efficiendique vim in sensus non cadere. Ad naturae cognoscendae viam illi ducunt, sed in rerum natura nullas agnosceremus causas, nisi ipsi essemus auctores sive causae nostrarum cogitationum, huiusque rei haberemus conscientiam. Ut alia, sic quod huic notioni subest, in nobismet ipsis inventum, ad naturae explicationem traducimus. Non igitur ab omni parte verum est, quod a multis praedicari solet, omnes nostras de natura cogitationes ex sensuum manare fonte. Confessi sumus, quae in animo deprehendantur non ab omni experientia esse remota. Sed cogitandi cognoscendique subsidia, quae in nosmet ipsos introspicientes invenimus, non habitus sunt aut affectus animi, sed actiones. Mens sua agit, materiamque suggestam disponit et variis modis connectit. Mentis autem actioni res, quae percipitur, dat occasionem,

sed neque actionis, neque legum, ex mentis ipsius natura exortarum, quibus est adstricta, veluti mater est. Certissimum quidem est nos harum legum esse ignaros, nullasquè categoriarum effingere posse notiones, priusquam ad cogitationem nostram animum attenderimus. Verum quemadmodum cetera nostra non tum demum existunt, quum eorum fimus conscii, ita neque illi animi motus inter se diversi, quibus res comprehendimus atque intelligimus.

Ut igitur ille in errore versatur, qui se ex nudis mentis conceptibus doctrinae corpus effecturum sperat, quum antitheseos syntheseosque via procedens, nihil agit aliud, quam ut revocet seposita, quae memoriae infixa haeserant, sic, si quid video, is quoque fallitur, qui supra commemorata intelligendi instrumenta ex sensuum visis nata et a rebus distincta sive abstracta esse putat. Non negandum est eadem via notiones categoricas atque alias informari: sed utrarumque diversa est materia. Harum materia ipsa est cogitatio, seu mentis actio materiam undecunque ortam digerentis cognitionemque inde efficientis.

Distingui solebat inter disciplinas empiricas et rationales. Dialecticam qui sequuntur methodum, ea, quae vere sint, una ratione cognosci existimant. Sed rursus empiricae methodi patroni nimii mihi videntur, quum experientiam disciplinarum etiam, quae formales dicuntur, unicum esse fontem contendunt. Mathematicam illi subiiciunt Physicae. Et Geometria quidem Physicae pars hactenus dici potest, quod tractat quae omnibus corporibus sunt communia. Sed quamquam, ut figuram vel spatium cogitemus, nulla experientia opus est, inde tamen haud pauci harum rerum notionem natam esse arbitrantur. Sed si vel hoc largiamur, tenendum est eorum, quae sensibus percipiuntur, in disciplina ipsa excolenda nullum esse usum. Inventa eius, uti ab una mentis cogitatione orta sunt, sic nulla adhibita experientia vera esse demonstrantur. Fatendum est Mathematicos corporum simulacra in animo praesentia contemplari, sed in iis etiam sunt, quae nulli rerum observationi, sed soli debeantur cogitationi, quae hîc praecedit, dum sequitur contemplatio. Iidem, quibus nos opponimus, contendere solent, omnia, quae axiomatibus enuncientur, non ex unius mentis functione provenire, sed experientiam fontem habere unde emanent: idque effici putant hoc argumento, quod multi eorum sunt inscii.

At pauciores non sunt, qui cogitandi leges, quibus omnes parent homines, quasque mentis proprias esse haud facile quis negaverit, plane ignorent. Sed id quoque demus, experientiae deberi quae axiomatibus contineantur; inde autem eorum veritatem probari pernegandum est. Veritatum necessariarum nomine ab illis, quae usu cognoscuntur, non sine causa seiuncta sunt. Incurrit quidem haec distinctio in reprehensionem nonnullorum dicentium, naturae leges experientia cognitas non minus necessarias esse habendas. Sed sic vocabulis luditur. Necesse est duo tertio aequalia inter se esse aequalia, aequalesque causas aequales habere effectus: necesse est etiam magnetem attrahere ferrum. At ita duo memoramus genera, quae multum inter se differunt: illud perspicimus, hoc non item. Quare magnes ferrum attrahat ignoramus: rem ita se habere experientia tantum didicimus: qua si caruissemus, non videremus a vero nos aberraturos, si magneti hanc attrahendi vim denegaremus. Simulatque autem hoc sensibus est perceptum, non possumus dubitare, quin omnibus eiusdem generis lapidibus idem commune sit. Quid ita? Quoniam intelligimus cogitationem, aequales causas inaequales habere effectus, non minus absurdam esse, quam quidquam sibi ipsum esse dissimile: quod sane experientiae tribui nequit. Praeterea sola rerum contemplatione, quid sit factumque sit, non quid futurum sit, mens assequitur. At mihi occurrere video, qui dicat, ex uno omnia huic aequalia cognosci posse. Rectissime. Si autem rogatus, quare ex uno de ceteris constet, nunc quoque experientiam causaris, nonne vides in orbem te circumagi et rationem afferre nullam? Experientiae igitur tribuamus quod est experientiae, sed rationi quod est rationis.

Longe abest ut negem, saepe rationi esse adscripta, quae aliunde petita essent; sed restant, quae summo iure ei referuntur accepta: illa dico, quae ita probari possunt, ut demonstretur contrarium ne posse quidem vere cogitari. His et his quidem solis veritatum necessariarum convenit appellatio. Qui autem putat, experientiam eorum quoque esse matrem, statuat ille necesse est, eidem ipsam quoque cogitandi facultatem deberi.

Si vera sunt, quae in medium attuli, existimandum est, omnem cognitionis materiem oriundam esse ex sensuum perceptione animique conscientia, formam autem ita nobis esse adscribendam, non ut rebus obtrudamus, quae ab iis aliena sunt, sed ut vi mentis naturali concipiamus,

quae ad res intelligendas et ad internam earum naturam cognoscendam requiruntur, at sensuum captum superant. A vero aberrant, qui disciplinas ab experientia profectas satis certas esse negant: multa enim ita demonstrant illae, ut nihil desit ad fidem faciendam. Atqui utuntur in hac re non solum sensuum visis, sed rationis etiam decretis. Quae autem ad res explicandas assumunt ex iis, quae sensibus accepta sunt, illa cognitionis principia ipsa sunt obscura: quod fateatur necesse est quicunque tenet non modo, sed perspectum habet quid sit, cuiusvis rerum scientiae experientiam esse magistram. Longe autem abest, ut verae rerum cognoscendarum rationes omnes iam sint repertae. Saepissime quid fiat percipimus, sed causam ignoramus. Hominum industria et sagacitas disciplinas praesertim physicas mirum in modum excoluit et amplificavit: sed multis in clarissimam lucem collocatis multo plura adhuc in tenebris iacent. Qui igitur non acquiescit in quibusdam scientiae partibus et tanquam fragmentis, sed omnium rerum cohaerentiam veraque earum principia cognoscere cupit, hic experientiae fines egredi cogitur. Ad analogiam quidem eorum, quae bene cognita habet, iudicium fert de ceteris: sed causarum scientia, ubi explorationis earum periclitandae copia non est, plerumque nihil aliud est quam coniectura sive hypothesis, quam veram esse liquido demonstrari nequit. Notissimum est a viris summo ingenio praeditis excogitata esse, quae rerum inter se diversissimarum ita reddant rationem, ut veras earum causas repertas esse credendum sit. Sed hypothesium, quibus utendum est, aliae, etsi fortasse non minus verae, luculenter probari non possunt. Et sive eiusmodi sunt, ut pro certis haberi mereantur, sive tales, ut supersit dubitandi locus, non inductione legitima, sed ratione non omnino solida nituntur. Hypothesibus qui utatur, manifestum est eum non prorsus obtemperare praecepto, nihil pro certo habendum esse, nisi quod experientia constet.

In antiquis Philosophis fuere, qui contenderent sapientem numquam opinari. Et profecto Deus haud opinatur, sed ne sapientissimus quidem mortalium ab opinione abstinere potest: hactenus autem differt ab insipiente, quod cognitionem valde imperfectam vere ita dictae scientiae non aequiparat, nec coniecturas, ne verisimillimas quidem, cum iis confundit, quae per se sunt certa aut firmis argumentis probata. Sed sapientiae studiosus non

coercendus est penitus intra limites exactae, quae dicitur, scientiae. Quod si fieri posset, parum prodesset: nam viis usitatis relictis ille eo duci potest, ubi deprehendat, quae antea inventis lumen afferant. Qui autem perfectius quid appetit quam scientiae partes experientiae ope consequendas, hic aliam viam, quam parum refert utrum speculativam appelles an alio vocabulo designes, ingrediatur necesse est. Rerum genera, proprietates, magnitudines, coniunctiones disiunctionesque et omnino mutationes experientia cognoscuntur: at non ostendit illa, quid sit quod rebus visu, tactu, auditu perceptis, materiaeque nomen gerentibus, subiectum sit. Nostri conscientia compertum est nobis, quid agat animus, quaeque eius sint affectiones: sed non item, quid sit illud quod cogitat, sentit, decernit. Quae autem disciplinis mathematicis, physicis, ethicis subiectae sunt notiones temporis, spatii, motus, virium, atomorum, iusti ac boni, necessarii et contingentis et id genus aliae, utrum nulla excepta originem debeant experientiae, an partim ex mente ipsa depromptae sint, in controversia est: hoc autem dubio vacat, earum naturam experientia non explicari. Verum dicet fortasse aliquis, se illarum naturam non curare, sed ea tantum quaerere, quae experientia constare possint, aut ex his certa ratione consequantur. Nec diffitendum est haud ita magno numero esse homines, qui accurata talium rerum exploratione delectentur. Eorum tamen, qui hanc quaestionem, metaphysicam scilicet, contemnunt, nonnulli imprudenter incidunt in opiniones metaphysicas, sed nulla ratione nitentes. Qui autem philosopha gaudent natura sponte sua impelluntur ad talia exploranda. Quamquam de naturae studio aliter censent quam PLATO, id tamen cum eo maxime agunt, ut non solum cognoscant adspectabilia et leges, quibus haec obtemperant, sed praesertim, quid vere sit et quaenam iis, quae sensibus monstrantur, sint subiecta. Non latet eos, haec non ita posse cognosci, ut nulla supersit dubitandi causa: at propterea illa non intacta relinquenda esse existimant. Insita eorum animis philosophia vetat eos a philosophando desistere.

In primis quaestio de summo omnium rerum principio ad Philosophiam pertinet; etsi agitatur etiam inter illos, qui ceterum Philosophiam parum curant. Quod quidem mirandum non est. Animus enim humanus natura sua ita comparatus est, ut tendat ad Deum, atque haec propensio in

homine augetur, quum sentiat se non solum pendere a multis rebus extra suam potestatem positis, sed etiam legibus teneri, ad quarum normam vitam actionesque instituat. Propagatur haec Dei cogitatio per societates religionis communione iunctas, quae persuasionem, esse Deum, mundi conditorem, rerum humanarum gubernatorem, summum legislatorem iudicemque aequissimum, omniumque omnino bonorum largitorem, tenerae iuventuti instillant et apud homines aetate provectiores confirmant, tum oratione, tum ritibus sacris ad Deum colendum institutis. Adiungitur de Deo rebusque divinis doctrina quaedam, quae, etsi agit de eo, quo maius cogitari nequit, haud magis tamen ab uno veri scientiaeque amore originem ducit, quam vulgaris de Deo rebusque divinis persuasio. Sed nec Theologiae pars, quae ad Philosophiam pertinet, eandem veri investigandi viam sequitur, ac ceterae disciplinae. Hae a singulis rebus accurate consideratis initio capto ad generaliora lento gradu procedunt: illa ingentem rerum multitudinem, nondum satis cognitam, uno quasi impetu transsiliens, rerum omnium principium animo contemplari properat. Quamvis autem via ac ratio, qua ceterae disciplinae inventae et excultae sunt, differat ab ea, quam inierunt homines ad Deum agnoscendum et quantum fieri posset cognoscendum, habent tamen aliquid similitudinis. Illae, quum res naturales humanasque interpretari conantur et in primas inquirunt causas, tales etiam admittere coguntur, quarum veritas non ita demonstrari potest, ut nullum contradicendi se prodat argumentum. Theologia a religione profecta perfectissimum nullisque limitibus circumscriptum rerum omnium auctorem mente assequi annititur. Non difficile igitur est intellectu, statuta eius non ita confirmari posse atque illa, quae ab experientia vulgari propius absunt. Fieri nequit, ut ullus mortalium Dei scientiam habeat vere ita dictam. Sed aliis etiam disciplinis usu venit, ut quae in iis sunt summa, demonstrationem non capiant. Illi autem, qui disciplinis exculti sunt, quidquid primum eos induxit ad Deum cogitandum agnoscendumque, id maxime student, ut de rerum omnium conditore et gubernatore sententiam acquirant cum rerum, quam acquisivere, scientia cohaerentem. Sunt tamen inter viros ingenii doctrinaeque laude florentes, qui palam profiteantur, suas de rebus divinis sententias cum iis, quae bene cognita esse arbitrentur, aperte pugnare, neque se tamen eam ob causam moveri, ut ab

alterutra parte discedant. Hos reperies praesertim inter experientiae patronos acerrimos. Sed quamquam ceterum nimii fortasse sunt in experientia laudanda, hac tamen in re debitam ei denegant fidem. Ita vero eam observare oportet, ut nihil, quod ei adversetur, pro vero amplectamur; nec minus ea, quae experientia respuit, spernamus, quam quae sibi ipsa contraria esse perspicimus. Hoc tantum caveamus, ne ea, quae experientiae ope revera cognita sunt, confundamus cum iis, quae ab ea ducta esse creduntur, sed aliunde profecta sunt, partimque nihil habent, quod experientia docere possit. Nec quod intelligere non possumus propterea tale esse opinemur, ut aut non sit aut fieri nequeat. Itaque de Deo rebusque divinis teneamus, quae, quamvis superent quidquid naturam et nosmet ipsos perscrutantes didicimus, his tamen non adversantur, et scientiae experientia partae non impedimento sunt, sed complemento.

Ad alteram accedo officii partem commemoraturus ea, quae hoc anno Academiae laeta tristiaque acciderunt.

Facere non possum, quin primum gratuler Regi augustissimo, cui contigit filii dilectissimi, Principis Arausiae, videre diem natalem duodevicesimum, gratoque recolere animo, regni haeredem ad eam pervenisse aetatem, quae aditum ei faciat ad rempublicam capessendam. Laetus dies fuit ille toti patriae, optima quaevis de iuvene generosissimo speranti, inque prima patriae urbe multisque aliis locis magno apparatu celebratus. Qua quidem in re si aliis fuimus inferiores, nullis secundi esse volumus in studio erga Principem, Patremque eius augustissimum et gentem omnino Arausiacam. Magno duximus honori, Regi, filium carissimum bona disciplina educari optimisque artibus instrui volenti, nihil melius esse visum, quam eum, curae traditum viri et generis et animi praesertim nobilitate conspicui, huc mittere, qui et ab aliis viris doctis et a nonnullis Academiae nostrae Professoribus doctrina institueretur. Multorum ex illustrissima sua gente exemplum secutus, ante hos duos annos Princeps Regius albo civium academicorum est inscriptus: sibi autem suos devinxit Praeceptores ingenii

bonitate, alacri discendi studio et eximiis in literis disciplinisque progressibus, Academiae cives mira comitate et humanitate, omnes morum honestate animique virtute. Praeceptorum ex nostro ordine tam honorificum, cum de omni vita eius, tum de studiis, fuit iudicium, ut suadente Facultate iuridica Senatus academicus unanimi consensu Doctoratum iuris Romani et hodierni, honoris causa, ei decerneret; quem honorem pro suo literarum amore lubens accepit. Rex autem quale iudicium ferret de iis, qui filii studiis praefecti fuissent, palam fecit, quum equestris ordinis insignia et ceteris praeceptoribus et iis praesertim, qui in collegarum nostrorum sunt numero, donaret. Honores, viri clarissimi, qui in vos collati sunt, vobis gratulamur. Documento sunt illa, quanti Rex aestimaverit filium dilectissimum, Regni haeredem, bonis instructum esse artibus, quantique fecerit operam vestram hac in re praestitam. Hoc autem ante omnia vobis gratulamur, contigisse vobis, ut cura vestra et industria prodesses Principi nobis omnibus carissimo atque adeo patriae universae.

Quam vellem post laeta haec silere possem, quod nunc commemorare debeo, nec sine gravi animi dolore attingere possum. Nobilissimus VAN LIMBURG STIRUM, civitatis Leidensis Consul et Curatorum huius Academiae collegio adscriptus, flebili morte nobis ereptus est. Lugent optimum virum sui, quibus erat carissimus; lugent urbis Academiaeque cives, quorum observantiam amoremque sibi conciliaverat animi integritate et benignitate inque muneris administratione diligentia et religione. Egregii viri memoria in animis nostris vigebit.

Nuper subita morte patria amisit quoque virum illustrissimum VAN EWYCK VAN DE BILDT, de republica diversis muneribus obeundis et cura etiam publicae iuventutis institutionis agenda meritissimum. Inter Academiae huius Curatores relatus per aliquot annos utilem ei operam navavit, donec aetatis causa munerum vacatione impetrata Ultraiectum concessit. Dolemus illius urbis Academiae non licuisse diutius frui cura, quam vir doctrina et ingenii dotibus animique virtute pariter insignis susceperat.

Regi augustissimo gratiam debemus, quod in locum illustrissimi VAN LIMBURG STIRUM morte vacantem substituit DANIELEM TIEBOEL SIEGENBEEK, virum amplissimum, civem nostrum, Academiae nostrae quondam alumnum eximium, literarum amore doctrinaeque laude insignem. De munere, vir

amplissime, tibi demandato gravissimo ac splendido, impense tibi gratulamur, nec minus Civitati Leidensi Academiaeque de te Consule et Academiae Curatore. Nulli dubitamus, quin cum collegis tuis, viris amplissimis, Academiae Curatoribus, quos salvos esse et incolumes magnopere gaudemus, gloriae eius inservire bonarumque artium et literarum studia iuvare velis, utilissimamque ei praebiturus sis operam. Faxit Deus ut diu praesis Civitati, Academiaeque curam geras, vitaque tua sit felicissima.

Vobiscum, collegae aestumatissimi, viri clarissimi, laetamur, nostri ordinis neminem hoc anno morte nobis esse ademtum. Clarissimus autem VAN ASSEN, qui septuagesimum aetatis annum impleverat, rude donatus est. Per longam annorum seriem Academiam nostram insigniter ornavit vir, et iuris et literarum elegantiorum scientia praecellens, et de iuventute Iurisprudentiae operam dante optime meritus. Beneficiis in Academiam collatis cumulum addidit, Curatorum petentium, ut Professoris munus, donec vacanti cathedrae prospectum esset, obire pergeret, voluntati obtemperans. Gratias tibi agimus, vir clarissime, quod, quum otio tibi frui liceret, hoc onus suscipere et sustinere voluisti, quemadmodum numquam pepercisti labori, quo eximios ingenii doctrinaeque fructus cum discipulis communicares. Quod quanti faciant, et quonam loco et numero te tuamque institutionem habeant, nuper eximio modo declararunt multi cuiusvis ordinis viri, quibus te iuris praeceptore uti contigerat. In hoc autem admodum delectamur omnes, quod tibi ad aliorum studia iuvanda, quum non desit animi voluntas, vires quoque corporis suppetunt: quae ut tibi diu incolumes serventur Deum enixe precamur.

Rebus prosperis grato animo memorandis annumerandum est, viros clarissimos aetatis causa antea rude donatos, TYDEMANNUM, HENGELIUM, SCHRANTIUM, BAKIUM, salvos esse omnes, nec modo in vivis esse senes, sed corpore et animo vigere: nec modo memoria recolere labores laudabiliter peractos, sed in doctrinarum studiis perseverare eorumque fructus identidem in lucem edere haud spernendos. Quod tibi in primis dictum accipe, clarissime VAN HENGEL, quem prope octogenarium admiramur omnes, quum iuvenili ardore literarum studia tractare tuisque operibus praeclaris hanc patriam nostram ornare pergas.

In locum clarissimi BAKE, qui plus quadraginta annos in hac Academia cum omnium admiratione literas antiquas docuit, suffectus tu es, clariss. HULLEMAN. Onus suscepisti haud sane leve, eoque gravius, quod locum occupasti viri omni laude celebratissimi et collega additus es clarissimo COBET in hoc literarum genere principatum tenenti. Gratissimum autem fuit nobis te munus, quo dignissimus iudicareris ab omnibus te noscentibus, non detrectasse. Nobis enim persuasissimum est Latinas quoque literas te doctore suum habituras esse honorem. Speramus non tantum, sed plane confidimus fore ut opera tua harum literarum studia vigeant crescantque.

Placuit Regi augustissimo provinciam, quam clariss. VAN ASSEN solus tenebat, in duas dividere partes, earumque alteri praeficere clariss. VAN BONEVAL FAURE, Iurisprudentiae in Academia Groningana Professorem, alteri IOELEM EMANUELEM GOUDSMIT, virum consultissimum, civem nostrum. Gratiam habemus Academiae Curatoribus, auctoribus huius consilii. Etenim tum opus bipartientes, tum Regi suadentes, ut his viris iuris peritissimis iuris docendi provinciam committeret, de studiis academicis bene meruisse censendi sunt. Nam magna in spe versamur fore, ut utriusque opera iuris et Romani et patrii studium incitetur civesque nostri uberes inde capiant fructus. Non minus igitur Academiae gratulari nos oportet de Professoribus designatis, quam his viris de honoribus in eos collatis. Precamur autem, ut provinciam uterque suam feliciter ineat, inque docendi munere prospera utatur fortuna.

Superest ut verbo moneam virum ornatissimum ATTWELL literarum Anglicarum Lectorem esse creatum, se autem brevi post munere sibi demandato abdicasse.

Pauca addenda sunt de studiorum adminiculis et instrumentis. Quae ante hos sex annos de hac ipsa cathedra verba faciens dixit Rector Magnificus, haec, quoniam praesentibus plane congruunt, nostra facere possumus. »Bibliothecas, inquit, Musea, Theatra, ceteraque eiusmodi loca si perlu-

„stramus, auctam rerum multitudinem, aptum eorum ordinem, integritatem, curam in adparando, describendo, et conservando, nitorem et splendorem, quibus oculi alliciuntur, admiramur; studium porro et diligentiam, immo industriam et laborem eorum, qui his administrandis praepositi sunt, maxime laudamus." Quod autem annotavit vir clariss. de Academiae et Urbis Nosocomia coniungendi consilio, quo medicae institutioni amplior daretur locus, optatum eventum nondum habuit. Sed aedificium Physices, Chemiae, Anatomiae usibus destinatum, quod Curatorum debemus munificentiae, perfectum est idoneamque, qua instruatur, supellectilem exspectat. Specula astronomica aedificari coepit. De Astronomia, cui nunc multo meliora comparantur subsidia, gaudemus admodum: gratulamur autem tibi, clarissime KAISER, de hac disciplina in patria nostra optime merito, qui exiguis subsidiis magna perfecisti et Academiae gloriam amplificasti. Quam maxime optamus, ut conservetur tibi vita, confirmeturque valetudo; et ubi nactus fueris Astronomiae instrumenta et te et illa digniora, concedatur tibi his uti longo annorum spatio in nobilissimae disciplinae emolumentum.

Silentio tamen opprimendum non est, fama ad nos delata de speculae intra horti botanici fines aedificandae consilio, gaudio nostro aliquantum doloris esse admixtum, Senatumque academicum unanimi fere consensu, frustra tamen, Regis Ministrum rogasse, ut alius quidam speculae exstruendae assignaretur locus, hortus, Academiae nostrae ornamentum, servaretur integer.

Museo Historiae naturalis, doctissimo TEMMINCK, cui id infinita debet, sub finem anni academici superioris mortuo, Rex praefecit collegam nostrum IOANNEM VAN DER HOEVEN, Zoologiae praesertim scientiae laude et in patria et apud exteros celebrem; locumque huic proximum mandavit doctissimo SCHLEGEL, eumque, ut viri eruditissimi in eandem scientiam merita publice praedicaret, Professoris honorarii titulo condecoravit. Honores illos, viri clarissimi, gratulamur vobis Academiaeque. Haud enim dubitamus, quin vestra cura musei illustris splendor non solum conservetur, sed etiam augeatur.

Non iniusta est querela saepius repetita, quod in Bibliotheca academica libri desiderentur multi, quibus ea sine damno carere nequit. Laudanda

tamen est liberalitas Curatorum, qui ut librorum historicorum copia augeretur, pecuniae in Bibliothecam erogatae additamentum adiunxere haud contemnendum: nec silentio praetereundum pecuniam extraordinariam satis magnam ex aerario publico esse depromtam tum ad libros zoologici maxime argumenti coemendos, tum ad Codices aliquot Syriacos, qui Londini asservantur, manuscriptos transscribendos.

IACOBO GEEL, viro clarissimo, qui, ut successoris, viri doctissimi, verbis utar, per sex et triginta annos Bibliothecae publicae singulari prudentia et liberalitate praefuit et de civibus et de externis optime meritus fuit, otium cum dignitate concessum est. Nos quoque ex animi sententia viro clarissimo gratulamur. Nos quoque habemus in votis, ut post praeclare actos labores placida illi contingat senectus, diuque conservetur nobis aliisque multis, quibus est carissimus.

Tibi quoque, doctissime PLUYGERS, cui Bibliothecae academicae cura iam mandata est, ex animo gratulamur. Non minore quam venerandus decessor tuus utere felicitate. Solertia tua prudentiaque confidimus pariter ac voluntate. Utinam te curante Bibliotheca multorum utilium librorum accessione locupletetur.

Denique ad vos venio, lectissimi iuvenes, in hac Academia liberalibus artibus et disciplinis operam dantes. Dolemus vestros sodales GUILIELMUM LUDOVICUM WEYER et FERNANDUM ADRIANUM WALTHERUM VAN CAMPEN, Medicinae Candidatos, ingenii bonitate et doctrinae praestantia conspicuos, spatium academicum fere emensos, uti propinquis suis amicisque, ita medicae arti morte ereptos esse. At gaudemus tamen ceteros vos omnes esse salvos. Numerus vester hoc quoque anno auctus est, unde documentum capimus Academiae famam mansisse integram. Nos vero minus civium multitudinem quam praestantiam in gloria ponere oportet. Virtutem autem vestram morumque honestatem si praedicamus, id iure meritoque fieri valde laetamur. Mihi nihil accidisset molestius, quam ut cogerer Rectoris uti auctoritate ad peccata coercenda. Sed, quod gratus agnosco, hoc onus mihi imponere noluistis committendo quod officii causa reprehendere debuissem. Quae pectus relaxant exhilarantque distinguere didicistis a vitiorum licentia, quae, uti civitatem perturbant, sic corpus animumque vigore suo

privant. In studiorum curriculo non omnes, quod nemo mirabitur, eandem ingenii, iudicii, memoriae vim, non omnes eandem sedulitatem et industriam fecistis conspicuam. Sed alii vestrum quod desiderabatur assiduo labore nec sine fructu supplere conati sunt: aliis nihil antiquius fuit quam egregias mentis, quibus emineant, dotes diligenter excolere. Perseverate, optimi iuvenes, in artium, doctrinarum literarumque studiis. Quod emendandum esse ipsi videtis, emendate, quod conservandum conservate, quod excolendum, intentissima cura excolite. Erga parentes, Academiam, patriam, quidquid iure suo a vobis postulant, religiose praestate. Sic, Deo adiuvante, artibus, doctrinis, literis colendis huic patriae nostrae emolumento aliquando eritis et ornamento.

Ad muneris Rectoris finem perveni. Omnibus, qui eius administrationem mihi utcunque reddiderunt faciliorem, gratias ago habeoque maximas. Lubentissime autem id depono tibique trado, clarissime SIMON THOMAS, cui Rex augustissimus id in proximum annum detulit. Salve, vir magnifice, iterumque salve. In munere tuo obeundo prospera utere fortuna. Deus si annuit votis, te Rectore vigebit et florebit Academia Lugduno-Batava. Dixi.

ACTA ET GESTA

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

1858.

Die 20 m. Martii. Vir clarissimus I. G. HULLEMAN munus auspicatus est habita oratione „*de Litterarum praesertim Latinarum apud Romanos studiis Nerva Traiano Imperatore.*"

Die 16 m. Iunii. Senatus decrevit doctoratum Iuris Romani et Hodierni honoris causa conferre in Celsissimum Regiumque GUILIELMUM NICOLAUM ALEXANDRUM FREDERICUM CAROLUM HENRICUM, Principem Arausiacum.

Recitantur literae Curatorum cum Senatu communicantium Lectorem linguae Anglicae a se creatum esse virum ornatissimum HENRICUM ATTWELL.

Die 21 m. Octobris. Recitantur literae quibus vidua comitis A. O. E. VAN LIMBURG STIRUM, Urbis Consulis et Academiae Curatoris, Senatum de viri amplissimi obitu certiorem facit.

Recitantur literae Curatorum Senatum certiorem facientium Lectorem linguae Anglicae H. ATTWELL docendi provinciam deposuisse.

1859.

Die 17 m. Ianuarii. Senatus designavit quatuor Professores, quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde in proximum annum Academicum Academiae Rectorem Magnificum eligat. Sunt autem

4*

ABRAHAMUS EVERARDUS SIMON THOMAS,
HENRICUS COCK,
ABRAHAMUS KUENEN,
PETRUS LEONARDUS RIJKE.

Designantur porro quatuor Professores, viri clarissimi:
I. H. STUFFKEN,
S. VISSERING,
H. I. HALBERTSMA,
I. I. PRINS,
e quibus in proximum annum Actuarius constituatur.

Assessores in proximum annum creati sunt viri clarissimi:
I. DE WAL,
N. C. KIST,
G. I. VERDAM,
C. G. COBET.

Recitantur literae Curatorum Senatum certiorem facientium viro clarissimo I. GEEL Bibliothecario Academico honestam missionem concessam esse et in eius locum substitutum esse virum doctissimum W. G. PLUYGERS.

Recitantur literae Curatorum, quibus Senatum certiorem faciunt viro clarissimo VAN ASSEN propter aetatem septuagenariam honestam missionem concessam esse.

Item eorundem literae, quibus cum Senatu communicant Decretum Regium, quo Professores Ordinarii in Facultate Iuridica creati sunt viri clarissimi R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE et I. E. GOUDSMIT.

Die 7 m. Februarii. Recitatur Decretum Regium, quo in annum proximum Academiae Rector Magnificus creatur vir clarissimus ABRAHAMUS EVERARDUS SIMON THOMAS.

Die 8 m. Februarii. Rector ad Senatum refert in conventu Curatorum, Rectoris Magnifici et Assessorum Actuarium in proximum annum creatum esse virum clarissimum IOANNEM HENRICUM STUFFKEN.

Rector Magnificus cum Senatu reliquisque Professoribus in auditorium maius descendit et ascensa cathedra orationem dicit *„de modo, quo experientia omnis nostrae cognitionis fons sit habendus unicus.”*

Mox solemnibus verbis posito magistratu Rector e cathedra descendit.

Novum Rectorem Magnificum Professores in senaculum deduxerunt et officiosissime salutarunt.

ORATIO

DE

LITERARUM, PRAESERTIM LATINARUM, APUD ROMANOS STUDIIS, NERVA TRAIANO IMPERATORE,

QUAM HABUIT

IANUS GERARDUS HULLEMAN,

A. D. XX M. MARTII A. CIƆIƆCCCLVIII,

QUUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA LITERARUM HUMANIORUM ET PHILOSOPHIAE THEORETICAE PROFESSIONEM SOLLENNI RITU AUSPICARETUR.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI!

QUI CURATORIBUS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

RECTOR MAGNIFICE, CETERIQUE ARTIUM AC DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

QUI IN HAC URBE AUT PROVINCIA MUNERUM HONORUMQUE AMPLITUDINE INSIGNES ESTIS, VIRI SPECTATISSIMI!

LITERARUM DIVINARUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

DISCIPLINARUM ET ARTIUM DOCTORES CONSULTISSIMI, PERITISSIMI!

ORNATISSIMI ACADEMIAE HUIUS ALUMNI, COMMILITONES OPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CIVES ET HOSPITES, AUDITORES HUMANISSIMI!

Si quid valent in oratore, praeter ingenium, usus atque exercitatio, si quas debet ex utroque accipere vires, quo tandem animo me esse censetis, qui publice dicendi partes primum hac hora sustineam, idque in tanta auditorum lectissimorum frequentia? Si porro eum constat esse oratorem, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit [1]), vestrae exspectationi quomodo ego satisfaciam, qui penitus sentiam in me illud convenire:

ἐγὼ δ' ἄκομψος εἰς ὄχλον δοῦναι λόγον?

Sed quantacunque verecundia hoc suggestum ascendi, ex quo solent nonnisi composite, ornate, copiose eloquentium audiri voces, est quo vacillantem animum confirmari, quo vires paene deficientes corroborari sentiam:

vestra, A. A.! benevolentia, indulgentia, humanitas. Quam quidem spem si non temere concepisse videor, vos oratoris et voluntatem laudabitis et artem incomptam aequi bonique facietis.

Historiam gentium qui statuunt humanitatis esse historiam, hi quum recte definire mihi videntur, tum eo ipso indicare verissime, artium et literarum cultui quam arta intercedat cum civili ac morali populorum condicione necessitudo. Et vero cuiuscunque gentis vel nationis res diligentius attenderis, ubivis tum maxime floruisse cum artibus literas videbis, quum vigentibus legibus et moribus ipsae florerent civitates; tum florem venustatemque sensim amisisse, quum flueret atque inclinata esset disciplina morum. Cuius quidem rei, ut alia omittam, in Romani imperii historia exempla sunt luculentissima. Quamvis enim post Actiacam pugnam, omni potestate ad unum collata, magna illa ingenia cesserint et coepta sint cogi in privatae vitae angustias, veritas etiam pluribus modis infracta sit, non ita enervata tamen nec quasi effeta fuit civitas, ut patrium animum virtutemque statim velut exuisse videretur. Multi supererant eximii et avitae gloriae aemuli viri, qui quum gererent ipsi invictum a temporum pravitate animum, eo praeclaris studiis, eo omnibus nervis contendebant, ut graviter afflictam libertatem, propriam Romani et generis et nominis, aliquatenus saltem erigerent et civium suorum labefactatam virtutem confirmarent. Quin primus ille populi Romani dominus, quum cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis sub imperium accepisset, adeo non fuit a liberalibus studiis aversus, ut sine blanditiarum suspicione compellasse Musas poeta videatur [2]):

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quaerentem labores,
Pierio recreatis antro.

Postquam vero exstinctae paene libertatis etiam speciem Tiberius sustulit; oppressis dira servitute civibus virtutem ipsam studuit delere Nero; Domi-

tianus tandem haud ita magno intervallo velut uno ictu rem publicam exhausit; — quamquam ne tum quidem adeo virtutum sterile seculum fuit, ut non et bona exempla proderet, literarum quae potuerunt esse nisi flaccescentia studia, quae fuit reapse nisi miserrima condicio? Quid, quod vel mortuos laudare capitale fuit, suntque triumviri designati, qui in comitio ac foro monumenta clarissimorum ingeniorum subdito igne concremarent? Non teneo me, A. A.! quin hoc loco in memoriam vobis reducam historicorum disertissimi indignabundam eandemque gravissimam vocem. „Scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem Senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus, atque omni bona arte in exsilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum, et, sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere" [3]).

Convenit in hanc Corn. Taciti orationem, A. A.! quod dictum est de egregia pictura: *decies repetita placebit.* Ut vero in his prudentissimi viri verbis nescio quae amara dulcedo nos capit tenetque, ita admiramur sagacitatem, qua deinceps quum praedicaret seculi sui libertatem et felicitatem, imminens literarum Romanarum exitium tanquam praenuntiavit. „Natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia, quam mala, et ut corpora lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris." Aut ego fallor, aut hoc est praesentia acute perspexisse, hoc vatis instar cecinisse futura. Et mihi quidem, A. A.! Taciti illa verba quum saepius in memoriam redire soleant, tum rediere nuper argumentum cogitanti, de quo dicens auspicarer munus, quod Regis Augustissimi benignitate in me collatum gaudeo. Ut paucis rem concludam, visum mihi est neque ab hac sollennitate alienum, nec vobis ingratum fore, si dicerem *de literarum, praesertim Latinarum, apud Romanos studiis, Nerva Traiano Imperatore.* Quod quidem iam acturus vos ut attente, ut placide, in primis ut benigne me audiatis, etiam atque etiam rogo et obsecro.

Auctor igitur rarae temporum felicitatis, reddita antiqua sentiendi dicen-

dique libertate, Nerva viam ad optima quaeque etiam Traianum adoptando praemunivit. Cui quidem si gravissimus labor restituendi quae priorum temporum servitus perverterat non cessit omnino, culpandum ipsum seculum est, culpanda inveterati mali vis et magnitudo, non animus praestantissimi Principis, qui nihil se impensius curare, quam ut bonis artibus ad virtutem vere Romanam suos conformaret, multis praeclare institutis suoque ipse exemplo luculenter probavit. Praeter Imperatorem autem meliorum civium et prudentiorum quotusquisque inventus est, qui non pari studio idem contenderet? Nimirum meminerant illi inque animis tanquam insculptum habebant, quod scite est Enniano versiculo expressum:

Moribus antiquis stat res Romana virisque.

Quod tamen propositum quam variis modis sint exsecuti, diligenter et singulatim exponere quum historiae esse videatur, nobis quidem suffecerit passim ea capita attingere, quae ad literarum tam indolem quam studia proxime pertineant. Ipse autem Traianus literatus nec fuit neque, ut Hadrianus, videri voluit; ne dicendo quidem multum eum valuisse accepimus [4]); sed quamvis esset a doctrina mediocriter instructus, idem tamen praeceptis philosophiae satis imbutus et artium ingenuarum ut qui maxime amans, illam ad vitae usum accommodare didicerat, literarum patronum se praestabat diligentissimum. Condidisse bibliothecas plures traditur, quarum certe quae Ulpia dicta est in primis inclaruit [5]), utque laudatur eius in viros doctos benevolentia, ita celebrantur quos habuit dicendi magistris et sapientiae doctoribus honores. Qua tamen in re videtur auctoritate sua scienter, liberalitate modice usus esse, neque effecisse, quod ab aliis commissum est, ut literatores potius quam ipsas literas aleret [6]). Sed quantumcunque Traiano literae debuerunt, blandissima tamen verba Plinii, servitutem priorem cum restituta libertate comparantis, multum abest, A. A.! ego ut mea faciam. Laudibus ille Principem suum eundemque fautorem gratus cumulavit, ad veritatem parum locutus est, quum hoc Imperatore literarum *studia spiritum et sanguinem et patriam recepisse* asseveraret [7]). Illud quidem vix quisquam negaverit, post Octaviani tempora in orbe Romano, praecipue in ipsa Urbe, eas artes, quae ad humanitatem

pertinent, non frequentius cultas esse, non diligentius, non felicius quam sub beatissimo imperio Traiani. Atque ita literae videri poterant recepisse patriam. Sed aliud est patriam habere, aliud spiritum et sanguinem. Utcunque coepta sunt Traiani seculo studia prope exstincta refoveri, virile suum robur et nervos non magis illa recuperarunt, quam antiquam suam virtutem et bene moratos viros civitas; "in qua iam pridem non minora praemia, immo maiora, nequitia et improbitas, quam pudor et virtus, habebant [8])." Quae ubi eundem Plinium tam diserte testantem legimus, seculi sui haud sane levem vituperatorem, quid a satiricis aut scriptoribus aut poetis, quid ab aliis non ita veracibus auctoribus confirmatam rem certam velimus?

Sed rumpendae tandem morae sunt, et ad ipsa literarum studiorumque penetralia, ut ita dicam, accedendum.

A Musis igitur ut ordiamur atque e multis nominibus nonnisi illustrissima deligamus, ecce, circumspicientibus comparet statim poetarum huius seculi facile princeps D. IUNIUS IUVENALIS. Acerbus potius quam severus castigator morum, est ille quidem paulo luxuriantior et Horatio leporis et urbanitatis laudibus inferior, sed eleganti suavitate et gravitate sententiarum qui cum Venusino vate comparetur, utique nemo dignior. Non laudamus Catulli vestigia persecutum VALERIUM MARTIALEM, ubi animum ad turpissimam adulationem advertimus, qua vel Domitianum, immanem beluam, ad coelum extulit; taedet etiam obscoenitatis et scurrilitatis, ad quae vitia seculi sui pravitati nimis indulgens se passus est prolabi; sed laudes hominis ingeniosi, acuti, acris, et qui plurimum in scribendo et salis haberet et fellis [9]), non immerito ei datas esse, lubenter et ultro concedimus. Quodsi restaurasse quodammodo Iuvenalis poeticae genus videatur, quod ante ipsum non floruerat magis, quod cum ipso florere, immo esse in Latinis literis desiit; quanto maiore iure a Martiale condita carmina dicamus, Musis Latinis neque antea cognita omnino, nec nisi dispari prorsus successu posthac exculta? Iam tertius accedat in illorum amicitiam adscriptus ITALICUS SILIUS, quamquam suae sibi mediocritatis conscius gradu accedit aliquanto tardiore. Primum Ciceronis aemulus summis eloquentiae laudibus floruit; tum studiose imitatus, parum assecutus quem sancte colebat Vergilium, carmina scripsisse maiore cura quam ingenio putatur.

Paene credideris, satisfacere eum voluisse Martialis [10]) sui desiderio, vere conquesti:

> Temporibus nostris aetas quum cedat avorum,
> Creverit et maior cum Duce Roma suo:
> Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
> Nec quemquam tanta bella sonare tuba.

Sed laborem Silius sibi sumpsit suis viribus longe maiorem. Quamvis enim a digressionibus, locorum et rerum descriptionibus, notationibus etiam morum eius *Punica* multum laudis mereantur, eadem tamen referunt passim adstrictam potius numeris historiam, quam adsurgunt ad *Aeneidos* praestantiam et epici carminis maiestatem.

En satis honesta nomina, A. A.! quibus multa si adiungam, forsitan ostendam quidem, quo ardore Musas Romani tum coluerint, sed floruisse et viguisse haec studia non probabo certius. Unum tamen addere lubet VERGINIUM ROMANUM, ideo quod rem magnam et illis temporibus plane singularem molitus est. Scripsisse enim praeter mimiiambos comoedias fertur, quarum in ceteris Menandrum aliosque eiusdem aetatis aemulatus sit, una autem retulerit comoediam veterem, et ita quidem, ut ornaret virtutes, insectaretur vitia, ut fictis nominibus decenter, veris apte uteretur [11]). Rem inauditam atque a tyrannide utcunque miti alienam vix crederes, nisi ex teste praesente compertam haberes. Quamquam tota haec Verginii ars non tam in seriis, quam in ludicris exercitationibus reponenda videtur. Quot omnino tulerint ea tempora, poetas dicam an versificatores? hinc satis ipsi efficietis, quod cuiusdam anni toto mense Aprili nullum fere diem praeteriisse legimus, quo non recitaret aliquis [12]). Delectabat ea res Plinium, quem et ipsum poetarum choro sese immiscuisse notum est, quod vigerent studia, proferrent se ingenia hominum et ostentarent. Cui equidem sententiae non ita facile subscripserim, qui minus benigne de privatis illis coetibus existimo, quibus illa aetate viri literarum studiosi sua inter se carmina, suas historias aliaque scripta, antequam evulgarent, quasi recognoscenda recitare solebant. Magis placet audire testantem [13]):

> Spissis indigna theatris
> Scripta pudet recitare et nugis addere pondus.

Mihi illa res, a bonis initiis profecta, malos eventus habuisse videtur, et literis ipsis recte colendis vehementer nocuisse. Non est istud studiorum vigor, sed capitalis pestis, ubi vanissimorum hominum ingenia, quodam velut scribendi pruritu agitata, hoc uno consilio sese ostentant, ut captatis blandientium amicorum laudibus, tanto plus habeant quod sibi sapere videantur, quanto minus intellegunt. Huc enim duxerunt illae a Plinio commendatae recitationes, vel potius ostentationes, duos interdum aut tres dies continuatae, eorum maxime precibus, qui quamtumvis clamitarent *pulchre! bene! recte!* quantumvis pallescerent, stillarent amicis ex oculis rorem, salirent, tunderent pede terram, stolidum recitatorem obmutescere ilico cupiebant. Ita videbatur

Derisor vero plus laudatore moveri [14]).

Poetas iam ceteri scriptores excipiant, qui Traiano Imperatore maxime inclaruerunt. Quorum primum quum excitem FABIUM QUINTILIANUM, non multo ante [15]) artis suae praecepta XII *Institutionum oratoriarum* libris complexum, non est quidem in animo praestantissimi viri laudes diligentius persequi, sed deberi hunc locum clarissimo rhetori arbitror, ex cuius disciplina nescio an profecti sint eorum plerique, qui iisdem temporibus probabiles oratores inter Romanos exstiterunt, aut omnino de literis Latinis bene sunt meriti. Illorum tantum non omnium praetermitto nomina, quoniam de scriptis siletur [16]); sed PLINIO SECUNDO MINORI hic suus est, hic debitus locus. Ab hoc num divellere licet eximium illum et oratorem et historiae scriptorem CORN. TACITUM? Iungamus igitur par nobile virorum, qui non tam ingenio inter se simillimi quam studiis, concordia, familiaritate et fide per totam vitam fuerunt coniunctissimi. Habent profecto sua uterque vitia, sed virtutibus multo maioribus egregie compensata. Quarum quidem splendor in Tacito, seculi sui lumine atque ornamento praecipuo, ita oculorum praestringit aciem, ut illa, si attendas, cernere aegre videare. Quod pulchrum sit, quod honestum, quod verum iustumque quaerit uterque, tuetur, propugnat, studio quidem et ardore pari, sed dispari et modo et successu. Apud Tacitum coniunctum fere videas impetum illum C. Gracchi cum L. Crassi maturitate; habet propemodum Plinius calamistros et cincinnos Maecenatis tinnitusque Gallionis. Est illi,

Sallustii in primis et Vergilii lectione penitus imbuto, neque antiqui nec poetici coloris experti, quamquam venari interdum dictionis acumen videtur, naturalis quaedam gravitas et robur virile; rapit nos alter amore sui delectatque, sed paene serviliter imitatus Ciceronem, fucatis magis quam decoris vestibus ornatus, in tempus detinet legentes, aculeos in animis vix relinquit. Postremo — nam tempus est horum facere finem — ad servilem illam imitationem si adulationem addideris, a qua ne Tacitus quidem cavere omnino potuit, Plinius Traianum suum praesentem laudans prorsus nihil abstinendum putavit, duo habebis huius seculi ex temporibus velut nata vitia, quae languescentibus literis tanquam succum ac sanguinem mox omnem exsorbuerunt.

Non ita urgebo, A. A.! ceterum verissimam vocem, *in sole cerni sidera ipsa desinere*, ut in hac scriptorum recensione C. SUETONII TRANQUILLI, viri docti et eruditi, non meminisse videar. Etenim ipsam artem si spectemus, eius *Caesares*, ne commemorem alia, cum *Iul. Agricolae vita* ne comparari quidem posse, statim mihi concedetis. Nihil est ad Tacitum Suetonius. Sed quo magis tum descitum est ab antiqua sermonis castitate et degeneravit nativa dicendi simplicitas; quo rarior coepit esse in rebus scribendis ingenuus candor atque incorrupta veritas; quo pluris denique faciendum in historico est iudicii acumen et antiquitatis cognitio, eo iniquius est hoc loco neglegere aut contemnere Suetonium. Neque hunc solum, sed plures reddita Romanis sentiendi dicendique libera potestas excitavit, ut in consimili literarum genere vires suas periclitarentur. Egerunt hoc in primis C. FANNIUS et TITINIUS CAPITO, quorum illum, hominem, ut ferunt, natura acutum, usu exercitatum, varietate promptissimum, mors supervenit absolutis tribus libris, quibus subtiliter, diligenter et Latine scripserat exitus occisorum aut relegatorum a Nerone [17]). Capito autem, qui literarum iam senescentium non patronus tantum, sed reductor ac reformator habitus est, idemque avitae virtutis exemplum; qui quum acerrimos olim libertatis vindices Brutos, Cassios, Catones, summa religione coleret, clarissimi cuiusque vitam egregiis carminibus exornasse traditur; — Capito igitur eandem telam exorsus pertexuit, enarratis praeterea illustrium virorum fatis, quos Domitiani immanitas sustulerat aut ex Urbe vel ex Italia relegaverat [18]). Est denique inter eos, quorum libros habemus

superstites, verbo saltem SEX. IULIUS FRONTINUS memorandus, qui bello aeque ac pacis artibus clarus, scriptis *de Aquaeductibus* et *Strategematicon* bonae frugis libris, ea potissimum tractavit, quorum diuturno rerum usu et scientiam sibi comparaverat et perspexerat utilitatem. Hoc gratum nobis, sibi perenne monumentum reliquit, qui vetuit aliud sibi exstrui, his verbis: „Impensa monumenti supervacua est. Memoria nostri durabit, si vita meruimus" [19]).

Probant utique haec exempla, A. A.! quae multis augere facile est, quantumcunque ab Octaviani seculo et veteri gloria tempora Traiani recessissent, non adeo tum refrixisse literarum studia, ut omni vita et calore destituta aut paene intermortua esse viderentur. Sed hactenus vix aliud quam scriptores et libros attendimus, quibus se prodiderunt elegantissima eius aetatis ingenia; ad ipsam studiorum rationem interius cognoscendam parum profecimus. Ubi vero domos, ubi scholas intraverimus, haud ita laeta illa nec sana fuisse apparebit, sed principia serpentis longius et ingravescentis mali multo certius dignoscemus. Hoc igitur agamus, oculis ad grammaticam, rhetoricam, philosophiam conversis.

Sunt studia grammatica a veteribus brevissime in duas partes divisa, in *recte loquendi scientiam* et *poetarum enarrationem;* quarum cum illa coniuncta erat *scribendi ratio*, hanc praecedebat *emendata lectio*, mixto his omnibus *iudicio* [20]). Et ipsa quidem ars quum pro dignitate sua magno in honore haberetur et aliquando in Urbe supra viginti celebribus scholis traderetur, ab ignobiliore hominum genere, plerumque a libertinis factitata, ignorantia et stoliditate praecipientium aut neglecta sensim est aut turpiter degeneravit. Solebant illi colligere discipulos non severitate disciplinae, nec ingenii experimento, sed ambitione salutationum et illecebris adulationis; inscientia autem tradendi vel neglegentia, aut cupiditate diutius exigendi mercedulas, quos occupaverant detinere [21]). Num mirum videri potest, A. A.! si a talibus magistris ad maximas quasque ineptias descendebatur, puerorumque ingenia in anilibus nugis detinebantur? Iidem magistri, custodiam Latini sermonis suam esse rati, iudicium suum exercebant in Vergilio et Ovidio, in Sallustio et Cicerone, denique in optimis quibusque poetis et scriptoribus notandis atque ex suo ingenio castigandis. Sic, ut hoc exemplo utar, notabatur a criticis Vergilius, quod notissimam illam sententiam *Trahit*

sua quemque voluptas Corydoni tribuisset rustico, contra bucolici carminis legem [22]). Si autem non toti erant in huiuscemodi nugis, haerebant in verbis. Largii Licinii liber ferebatur horrendo titulo *Ciceromastix*, quo M. Ciceronem parum integre, improprie, inconsiderate locutum esse asseveravit, ipse neque dictu neque auditu digna commentatus [23]). Iam vero ex libris si ad scholas concludimus, quod mea quidem sententia facere prorsus licet, ecquid boni puerorum ingeniis ex tali institutione redundare potuit? Ecquid curae fuisse illis magistris praeceptum putemus, „ut teneras adhuc mentes more nutricum mollius alerent, et satiari velut quodam iucundioris disciplinae lacte paterentur" [24])? Talia quid valent ad pueriles animos pulchri, recti, veri iustique sensu mature imbuendos, quove possunt modo erudire adolescentulos ad eam quam vocamus humanitatem? Sit ita sane, ut qui vim propriam et significationem verborum, cetera huius generis, non plane percepta habeat et cognita, eius nulla possit esse ars critica, sine qua irrita est omnis scriptorum interpretatio, tota philologia ad nihilum recidit; sed primum maturiori aetati haec reservanda sunt et subacto magis ingenio, tum vero cavendum, ne male seduli ita hac ipsa arte abutamur, ut subsidium et instrumentum quam maxime necessarium cum fine studiorum temere permutemus.

Quoniam eo nos res deduxit, ut attendamus

Γραμματικῶν πλοκὰς καὶ λογοδαιδαλίην,

non importunum fuerit eo consilio haec persequi, ut mutatae extra scholae cancellos Latinitatis non accuratiorem quidem, sed aliquam tamen habeamus rationem. Fuit igitur Traiani temporum hoc in primis proprium, ut sentirent Romani, quantopere ab avita virtute descivissent, et assequi illam optimus quisque acerrime certaret. Maiorum vestigia sequi, ubi recta via illi praecessissent, quum aliis in rebus honestissimum putabant, tum in literis elegantioribus studebant ardentissime. Cuius quidem rei consilium laudabile, eventus, quod paulo ante quasi praeteriens notavi, quia vertit plerisque in servilem imitationem aemulatio, studiis ipsis tristissimus fuit. Aliud esse conformari ad exemplum antiquitatis, aliud, ut ita dicam, simiam agere antiquorum, Tacitus certe intellexit; voluit illud, hoc vereor ne assecutus sit Plinius. Nec vos fugit, opinor, A. A.! quod passim con-

sulto monui, in huius seculi scriptoribus quam multi fuerint, qui aliquem ex antiquis praecipue imitandum sibi proponerent [25]). Adeo Romani illi etiam in literarum studiis sui esse desierunt. Sed usque eo haec servitus processit, ut voces et terminationes pridem emortuas tanquam ab inferis excitarent. Unde Sextum quendam carpens Martialis [26]):

Scribere te, quae vix intellegat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte, iuvat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris.

Scilicet ita demum isti eruditi sibi videbantur, ita quaedam soli scire, si ex alieno seculo verba peterent et XII Tabulas loquerentur [27]), non tam solliciti an quae scripsissent dicerentque intellegerentur, quam ut reconditam suam doctrinam venerantes homines stuperent. Cuius pravitatis quum principia in grammaticorum ludis et scenis rhetorum quaerenda sint, valde mirandum non est, si illa paulatim etiam in forum et domos irrepsit. Sonantia verba et antiqua in oratore placebant mirifice; in sermone plebeio in primis etiam figuris delectabantur [28]). Sed ne hoc quidem nonnullis satis fuisse ostendunt quae adolescenti cuidam obiecta a Favorino accepimus. „Tu, inquit, proinde quasi cum matre Euandri nunc loquare, sermone abhinc multis annis iam desito uteris, quod scire atque intellegere neminem vis quae dicas. Nonne, homo inepte, ut quod vis abunde consequaris, taces? Sed antiquitatem tibi placere ais, quod honesta et bona et sobria et modesta sit. Vive ergo moribus praeteritis, loquere verbis praesentibus." Non vidit, qui haec laudavit, Gellius [29]), se modo tantum, non re ab illo adolescente differre, quum conciliaturus sibi, ubi venisset usus, verborum sententiarumque elegantium recordationes, ipse obsoleta quaeque ex Q. Claudii *annali* excerperet. Certe enim absurdum est in Caesaris aut Ciceronis verba ita iurare, quasi puri, elegantis ornatique sermonis Latini notitia ex aliis fontibus hauriri nequeat; at *sole occaso* ex legibus XII Tabularum defendere et dicere, non insuavi vetustate hoc esse [30]), id mihi quidem nescio quid putidae affectationis habere cumque omni elegantia ac veritate vehementer pugnare videtur.

Cetera transeo, A. A.! non quod me dicentem deficit materies, sed ne vestra audientium patientia abutar. Neque enim uno tempore nec modo

uno corrupta est Latinitas, in quam, praeter vetera et antiqua, nova pedetentim inducta sunt innumerabilia, mutata verborum genuina significatione aut flexione, vel adhibitis vocabulis antea poeticis aut recens fictis, denique multis ex lingua Graeca aut sermone rustico et plebeio adsumptis. Quae res quod Traiani seculo non exigua nec vulgaria incrementa cepit, partim fortasse repetendum est ex magno numero Italicorum et Provincialium, qui in primis inde a Vespasiani temporibus in Urbem confluxerant, sive senatoria dignitate ornati, sive aliis summis honoribus conspicui, haud pauci etiam scriptores; partim et maxime quidem inde, quod fieri iam tum Roma coepit, qualis imperante Hadriano plane fuit, doctrinae Graecanicae et Graecanici cultus sedes. Hinc nata Latinae linguae cum Graeca quaedam quasi consociatio; hinc Latini non modo loqui, verum scribere etiam Graece consuerunt [31]); hinc tandem patrii sermonis iam nimis corruptae integritati extrema vis allata. Sed haec subtilius persequi quum nunc quidem non sit propositum, praestat ad cetera accedere et contemplari paulisper rationem oratoriae.

Est haec poetarum et scriptorum, qui paulo ante Traianum vel his ipsis temporibus floruerunt, omnium una et consentiens vox, praeter grammaticorum scholas nihil fuisse scenis rhetorum ineptius, nihil miserius. Prae aliis Tacitus, mea quidem sententia scriptor egregii illius qui est *de oratoribus dialogi*, brevi, sed acute funestas istas eloquentiae pestes notavit, quum decernere vereretur, locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis adferrent [32]). Adeo enim haec sunt verissima, ut in rhetorum officinis non solum obtunderentur et exstinguerentur ingenia, sed morum castitas haud raro pollui [33]), in dies etiam ali et corroborari impudentia soleret. Videlicet quum duobus orationum generibus, suasoriis et controversiis, a rhetoribus adolescentuli exercerentur, iisdem declamationibus simul discebant invicem qualiacunque laudare. Quae quidem modestiae pariter ac studiorum perniciosissima hostis *humanitas* — hoc ei datum est nomen — in eo potissimum cernebatur, quod adolescentuli ad omnem clausulam declamantis condiscipuli exsurgentes et excurrentes cum indecora exsultatione conclamabant. Quo tumultu inflati declamatores, si parum a praeceptore laudarentur, ipsi de illo male sentiebant [34]). Saepius enim legem, qua discerent, discipuli ipsi dabant [35]), et miselli doctores necesse

habebant cum insanientibus furere, ne soli in scholis relinquerentur. Itaque eloquentiae magister satis lepide cum piscatore confertur, qui nisi eam imposuerit hamis escam, quam scierit adpetituros esse pisciculos, sine spe praedae moratur in scopulo [36]). Aliquanto melius rem suam egisse Cestius videtur, is qui Ciceronis actioni habitae pro Milone rescripsit. De quo homine festiva est Senecae rhetoris narratio, qua cognita quum ipsum doctorem umbraticum, tum scenam scholasticam clarius vobis repraesentabitis. Sic igitur ille: „Pueri fere aut iuvenes scholas frequentant. Hi non tantum disertissimis viris, Pollioni Asinio et Messalae Corvino et Passieno, Cestium suum praeferunt, sed etiam Ciceroni praeferrent, nisi lapides timerent. Quo tamen uno modo possunt, praeferunt: huius enim declamationes ediscunt, illius orationes non legunt, nisi eas quibus Cestius rescripsit. Memini me intrare scholam eius, cum recitaturus esset in Milonem Cestius. Ex consuetudine sua praefatus dicebat, *Si Thrax essem, Fusius essem, si pantomimus essem, Bathyllus essem, si equus, Melissio.* Non continui bilem et exclamavi: *Si cloaca esses, Maxima esses.* Risus omnium ingens. Scholastici intueri me, quis essem, qui tam crassas cervices haberem. Cestius, Ciceroni responsurus, mihi quod responderet non invenit, sed negavit se executurum, nisi exissem de domo. Ego negavi me de balneo publico exiturum, nisi lotus essem" [37]).

Et de scenis quidem scholasticorum satis vidimus. Ad dicendum autem quantum ea institutio profecerit, ultro perspicitis, A. A.! Tantum, ut in forum quum prodiissent adolescentuli, putarent se in alium terrarum orbem delatos, quia ex iis, quae in usu erant, neque audiverant quidquam nec viderant [38]). At iidem facundiam tamen afferebant et eloquentiam? Vero, afferebant, fractam scilicet atque enervatam, talem omnino, cuius ornamentum primarium esset infinita paene et ventosa loquacitas. Ad quam linguae volubilitatem si quid forte deesse videretur, praesto erant et arte sua et exemplo declamitantes Graeculi. Plerique oratores solam orationis virtutem positam in crebris et argutis sententiis putabant, quas praecipue in clausulis adhiberent, ut omnis locus in fine sermonis feriret aurem [39]); quumque grandia et sonantia, antiqua et obsoleta verba affectarent, in actionibus eorum quotidiani quoque sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendebantur. Universe lascivia verborum, levitate sententiarum, licentia

compositionis histrionales modos ita in dicendo exprimebant, ut oratores *tenere* dicere, histriones *diserte* saltare quidam haud iniuria iocarentur [40]). Denique artium scientiam si spectemus, magna erat his disertis et legum et senatusconsultorum ignorantia, mira contemptio iuris, philosophiae et exquisitioris doctrinae despicientia [41]). Haec igitur umbratilis, haec plena fucati nitoris eloquentia antiquis illis forensibus certaminibus successit, quum submota a curis publicis multitudo tanquam animi remittendi causa in foro otiaretur, viros autem nobiliores vixdum excitaret id quod libera re publica sibi persuaserant, neminem sine eloquentia aut adsequi posse in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum [42]). Hoc addam, iam eo impudentiae tum processum esse, ut non tantum audacissimus quisque magnaque ex parte adolescentuli obscuri ad declamandum in forum transirent, vel potius irrumperent; sed sequerentur auditores, actoribus similes, a mancipe conducti et redempti, qui dato signo infinitos clamores commoverent. Est ergo non tam re quam dictu mirabile, A. A.! hos ipsos clamores quasi normam factam esse, ad quam suum de facundia oratoris iudicium etiam qui non audissent satis certo dirigi posse putabant. Quid multa? Videbatur ille pessime dixisse, qui laudatus esset maxime [43]).

Reliquum est ut rationem habeamus philosophiae. Haec autem a literis Latinis nunquam abfuit magis quam illis de quibus agimus temporibus, usque eo ut nullus tum invenerit explanatores vel interpretes. Philosophiam qui scriptis illustrarunt Graeci fuerunt, quorum, ut praetermittam in patria iam degentem PLUTARCHUM CHAERONENSEM, maxime inclaruerunt Stoicorum placita professi HIERAPOLITANUS EPICTETUS, Musonii Rufi discipulus, et PRUSANUS DIO sive CHRYSOSTOMUS; inclarescere etiam coeperunt THEO SMYRNAEUS et Graecis facile adnumerandus FAVORINUS ARELATENSIS. Horum ille Platonicam philosophiam cum Pythagoreorum doctrina coniunxit, qua ipsa tum aliquam nominis famam consecutus est APOLLONIUS TYANENSIS; Favorinus autem, Dione praeceptore usus, Romae et rhetoricam et philosophiam professus, dignior est qui in sophistarum quam in philosophorum numerum adscribatur. Sub haec enim tempora genus Graeculorum quum in Asiae oppida et Athenas haud ita pridem irrepsisset, etiam in caput imperii Romam delatum est, ubi sophistica sua doctrina pariter philosophiae atque eloquentiae quidquid remanserat commiscuit et pervertit. Quae

quidem sophistica etsi temporibus Hadriani, fautoris sui et patroni, Romae in primis effloruit, eius tamen causae et principia dudum adfuerant, ex mutato rerum statu studiisque depravatis repetenda. Iam L. Senecae aetate habebantur multorum philosophorum scholae *diversoria otii* [44]), videbanturque alii ad syllabarum distinctiones et coniunctionum ac praepositionum proprietates descendisse, adeoque invidisse grammaticis, ut in horum arte quod supervacaneum esset, id transtulissent in suam. Quo factum ut diligentius scirent illi loqui quam vivere; ut esset philosophiae paene invidiosum nomen; postremo, ut ipsa, quum esse desiisset *ars vitae*, e schola in communem societatem traducta plus mali quam boni efficeret. In hoc quidem nobilissimi etiam viri, quibus ceterum non deerat vitae quaedam integritas et probitas morum, sibi esse philosophi videbantur, ut dolore vel morbo insuperabili correpti aut exhaustis senectute viribus, inedia aliave quaesita morte vitam finirent. Sic enim putabant: „impetu quodam et instinctu procurrere ad mortem, commune cum multis; deliberare vero et causas eius expendere, utque suaserit ratio, vitae mortisque consilium suscipere vel ponere, ingentis est animi" [45]). Illam igitur, ut merito vocata est, *virtutis indagatricem expultricemque vitiorum* respicienti, ad Nervae Traiani aequales accommodare licet, quae de iure iustitiaque vergente re publica scite dicta sunt [46]): verae germanaeque philosophiae solidam et expressam effigiem nullam tenebant; umbra et imaginibus utebantur.

Subvereor, A. A.! ne nimis vos senseritis, rerum copia quantam gignat verborum. Id tamen unum mihi concedite, quaeso, ut ea quae passim observavimus vobiscum strictim percurram. Unde enim profecta est mea oratio, esse literis cum moribus necessitudinem tantam, ut cum horum integritate simul illarum studia depraventur et paulatim occidant, id vidimus Nervae Traiani temporibus liquido confirmari. Vidimus etiam, quod maxime nobis proposueramus, quum post „saeva et infesta virtutibus tempora" ingenia semel obtorpuerint, parum esse, pessimo Principi optimum successisse, parum, paucos spectatos viros adspirare ad laudes maiorum suoque exemplo excitare alios, nisi una cum mutatis temporibus ad mores temperatos moderatosque civitatem reducere valeant. Manserat iuventuti Romanae post foedam Domitiani tyrannidem desidia, manserat parentibus in liberis educandis neglegentia, manserat artium doctoribus inscientia,

denique universis moris antiqui oblivio [47]). Decantata fere est, non ficta de populo Romano fabula:

> Qui dabat olim
> Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
> Continet atque duas tantum res anxius optat,
> Panem et Circenses [48]).

Quid ergo a poeta ad historicum provocem, acri iudicio virum, quum dicit: „Propria et peculiaria huius urbis vitia paene in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor et gladiatorum equorumque studia; quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit" [49])? Quid plura et turpiora etiam afferam, ex Urbe in Italiam, deinde in provincias longe lateque diffusa? Tam vario et ingenti malo quae medicina paretur? Desierit licet, Traiano auctore [50]), valere in obscoenos pantomimorum ludos:

> Spectant hoc nuptae iuxta recubante marito,
> Quod pudeat narrasse aliquem praesentibus ipsis [51]);

rivulum ille obstruxit, ipsum flumen nec arcere potuit neque avertere. Eadem res est in literarum studiis. Fuerit licet

> Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum [52]),

formatae sunt his praemiis sensim tanquam classes eruditorum, ipsis literis in communi fere ingeniorum torpore non sunt dati nervi, non vigor, non virtus. Haec igitur omnia quum perspecta haberet Tacitus, sagaciter est auguratus, quae equidem hac oratione satis illustrasse mihi videor: „Natura infirmitatis humanae tardiora sunt remedia, quam mala, et ut corpora lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris."

Fert et tempus et ratio, sed multo magis me cogit animus, ut antequam dicendi faciam finem vos appellem, illustris huius Academiae Curatores! Vestra enim commendatione Augustissimo Regi placuit, ut quam provin-

ciam Bakius, Vir Clarissimus, plus quadraginta annos praeclare obtinuisset, hanc ego susciperem, haec mihi Sparta ornanda traderetur. Prorsus nihil est quod celem, Viri Amplissimi! — neque enim statim ab initio dissimulavi — primum tanti muneris nec sperati neque exspectati adeo me suspexisse gravitatem, ut viribus meis diffidenti manere in statione Amstelodamensi, quam Leidae agmen ducere paene potius esse videretur. Sic enim persuasum semper mihi fuit: quem titulum quis non tueatur satis, eo quidem ipsum non tam ornari solere quam onerari. Num alia referam, quae tunc dubitationem mihi augebant? Non faciam, quoniam cui id bono sit non video. Ne illa quidem commemorassem, nisi id ipsum declararent, quod in primis velim teneatis, non levi quadam abreptum ambitione, sed verecunda prudentia adductum, tandem me gravissimam illam provinciam obiisse, ad cuius procurationem vobis visus sum prae aliis idoneus. Qua honorifica de me sententia utinam ne falsi esse unquam reperiamini! Hoc equidem spondeo testorque, nihil me cupere magis, nihil mihi fore prius, nihil antiquius, quam ut illustri huius Academiae nomini famaeque quocunque possim modo consulam serviamque constanter..

Vos ubi intueor, qui divinarum rerum scientiam humanasque disciplinas in hac Musarum sede profitemini, simul excitatum me sentio, ut alacri et erecto animo esse pergam. Quum enim paucis vestrum iam antea usus essem familiariter, omnes huc vocatum ita me excepistis, ut salutare non tam collegam velut sorte datum videremini, quam futurum amicum, cui erranti comiter monstrare viam velletis. Quo quidem gratius accidere mihi nec tunc quidquam potuit, nec facile poterit posthac. Quapropter, Viri Clarissimi, collegae spectatissimi, quod pro vestra benevolentia facere ultro coepistis, id iam rogati mea causa vos perficite. Ego tantae gratiae ut cumulate respondeam quum diligenter curabo, tum in officiis reponam suavissimis.

Quae quum praecipue ad eos vestrum dicta velim, quibuscum artior mihi erit ex cognatis studiis necessitudo, prae aliis tamen vestris consiliis, Baki et Cobete, vestris monitis praeceptisque et indigebo plurimum et utar lubentissime. Quod enim curriculum ego iam ingredior, tu confectum, Baki, ita percurristi, ut, quod tua te modestia vetat cum poeta septuagenario de te ipso praedicare,

Sic ut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit [53]),

id haud vereor ego cum maximo horum omnium consensu ab Enniana senectute transferre ad tuam. Quamquam qui bene te norunt et negotiosa tua otia, vel ista senectutis quies quam salubris, quam fructuosa sit his literis futura, iam nunc praesentiunt. Sed illuc redeo. Tu mihi ut antea favisti, ita porro adesse tuaque in primis prudentia ex longo rerum usu contracta prodesse ne gravere. Me a te discere non pudebit, sed maioribus etiam humanitatis officiis tibi obstringi plurimum iuvabit. — Tuam autem, Cobete, amicitiam si expeterem, subridicule agere iure tibi viderer. Ex quo enim primum dextras iunximus, tu Bakii et Peerlkampii auditor, Heusdii et Goudoeveri ego, abhinc anni sunt fere quinque et viginti, stetitque haec nobis temporibus non interrupta fides. Quid, quod his ipsis diebus, quum adversa valetudine diu conflictarer, non solum auctor mihi fuisti ne nimis festinando male mihi consulerem, sed obeundo interim vices meas amoris et gratiae documentum dedisti certissimum? Aut enim haec est amicitia, aut omnino nulla est. Quae ut in dies confirmetur et crescat si iam oro et flagito, hoc quidem abs te tanto facilius impetrabo, quanto plus incrementi ex concordia nostra res captura est, quam communiter augere studemus et tueri fortiter. Id enim honestissimum certamen tecum mihi esse volo, cuius propositum sit iuventutis commodis omni ratione totisque viribus inservire. Quamquam qua tu es eruditionis et ingenii praestantia, qua polles in primis facultate rapiendi auditorum animos atque ad pulchri honestique amorem inflammandi, in hac concertatione tibi me non parem, sed longe inferiorem fore facilis est et paene certa divinatio. Hoc vero quomodocunque eveniet, unum velim tu tibi ante omnia persuadeas, collegam tibi obtingere potuisse me quidem multo doctiorem, sed qui promereri hunc titulum ardentius cuperet, neminem.

Vos denique salvete, ornatissimi iuvenes! Salvete iterum, futuri commilitones! Serius ad vos accessi, sed, credite mihi, optime vobis cupiens. Neque ita rerum ignarus veni, quin multorum annorum usu magna mea voluptate perceperim, studiosis et modestis discipulis cum doctore nec nimis severo nec turpiter indulgente quam iucunda possit esse societas, quam grata necessitudo. Huius igitur suavissimae coniunctionis vinculo ut

nos quoque brevi devinciamur, equidem lubentissime contendam, vos pariter velle confido. Neque arduum est quod suscipimus negotium, dum meam ego, vos vestram rem strenue et constanter agamus. Iam vero quid mea ferat voluntas, quid toto animi ardore cupiam, his Viris Amplissimis, huic vestro Cobeto aperte et plane me declarantem audistis. A vobis quid exspectem, dicam paucissimis: ea, quae sperare de generosis iuvenibus licet, qui trahuntur et ducuntur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putant, labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducunt [54]). Cuius spei plenus ego viam indicabo, qua eam Latinarum literarum aliarumque rerum cognitionem et scientiam vos assequi, ut mihi quidem videtur, optime possitis. Itaque hoc probe teneatis, dux vobis esse volo, magister nolo. Nam in magisterio inest quod maxime ego abominor, vos fugere tanquam pestilentiam debetis, *auctoritatis* notio. Non est auctoritas, neque in his literis neque in humana disciplina ulla. Cur istud? quaeritis. Respondeam M. Tullii verbis, non quia mihi alicuius sunt auctoritatis, sed quia id, quod ipse cogito, ille recte expressit. "Obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur: desinunt enim suum iudicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo quem probant iudicatum vident" [55]). Quapropter hoc in primis cavete, commilitones! Cetera dies expediet et consuetudo nostra.

DIXI.

ADNOTATIONES.

1) Deprompta est haec oratoris definitio ex *Dial. de oratoribus* XXX s. f.

2) Horat. *Carm.* III. 4. 37 sqq. De ipsa re exposuit accuratissime Weichert, *Imp. Caes. Augusti scriptt. reliquiae*, in primis inde a p. 87.

3) Tacitus *Vit. Agric.* II.

4) *Παιδείας μὲν ἀκριβοῦς, ὅση ἐν λόγοις, οὐ μετέσχεν· τό γε μὴν ἔργον αὐτῆς καὶ ἠπίστατο καὶ ἐποίει.* Sic enim tradit apud Xiphilinum Cassius Dio, cuius vide LXVIII. 7. Ex Prisciano (VI. 13) efficias, scripsisse etiam Traianum de rebus a se gestis; laudat saltem eius *Dacicorum* librum I, in quo scriptum fuerit: „*inde Berzobim, deinde Aizi processimus;*" sed de his commentariis praeterea nihil constat. Quae autem hodie feruntur *Epistolae*, a Traiano et Plinio mutuo ad se scriptae, harum quam suspecta sit origo peculiari dissertatione, Suidnicii a. 1835 edita, demonstravit Heldius.

5) *Κατεσκεύασε καὶ βιβλίων ἀποθήκας*, ait Dio l. l. 16. Ulpia bibliotheca commemoratur a Vopisco, *Aurelian.* I s. f., VIII, *Prob.* II, ubi refert aetate sua eam fuisse thermis Diocletianis. Neque aliam indicare Gellius videtur, *N. A.* XI. 17, ubi mentio est de bibliotheca templi Traiani.

6) Ut saepe verbis res poetae extollunt, ita prudenter utendum est testimonio Iuvenalis, adfirmantis:

> Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum:
> Solus enim tristes hac tempestate Camenas
> Respexit, quum iam celebres notique poetae
> Balneolum Gabiis, Romae conducere furnos
> Tentarent, nec foedum alii nec turpe putarent
> Praecones fieri; quum desertis Aganippes
> Vallibus esuriens migraret in atria Clio.

Et paucis interiectis:

Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicunque canoris
Eloquium vocale modis laurumque momordit.
Hoc agite, o iuvenes, circumspicit et stimulat vos
Materiamque sibi Ducis indulgentia quaerit.

Hanc enim VII Iuvenalis *Satiram* quum alii alio tempore scriptam statuissent, post Franckium, *Exam. crit. D. Iunii Iuven. vitae* p. 71 sqq., Heinrichius ad imperium Hadriani retulisset, Car. Frid. Hermannus paulo post *Panegyricum* Plinii a. 101 vel 102 editam esse idoneis argumentis firmavit, *Ind. scholl. Gott.* a. 1843. Eodem fere tempore scripta est Plinii de obitu Valerii Martialis epistola, III. 21, qua meo iudicio magnificae illius liberalitatis laudes, a Iuvenale in Traianum collatae, non refutantur quidem, sed temperantur. Scribit enim Plinius: „Fuit moris antiqui, eos, qui vel singulorum laudes vel urbium scripserant, aut honoribus aut pecunia ornare. Nostris vero temporibus, ut alia speciosa et egregia, ita hoc in primis exolevit." Non effecisse Traianus, ut possent viri literati, de rebus suis securi, in utramque aurem dormire, sed merentibus iusta praemia decrevisse videtur et liberaliter succurrisse egentibus. Huc redit omnium testimoniorum summa. Maior Hadriani fuit liberalitas, non prudentia, qui „omnes professores et honoravit et divites fecit," quin „doctores, qui professioni suae inhabiles videbantur, ditatos honoratosque a professione dimisit," ut tradit Spartianus XVI. „Rhetoribus et philosophis per omnes provincias et honores et salaria detulit" Antonius Pius (*Capitol.* XI), secutus in hoc exemplum Vespasiani, de quo vid. Sueton. XVIII.

7) *Panegyr.* XLVII, ubi Traianum Plinius sic adpellat: „Quid? vitam, mores iuventutis quam principaliter formas! quem honorem dicendi magistris, quam dignationem sapientiae doctoribus habes! ut sub te spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia, quae priorum temporum immanitas exsiliis puniebat! cum sibi vitiorum omnium conscius Princeps inimicas vitiis artes non odio magis quam reverentia relegaret. At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes. Praestas enim quaecumque praecipiunt, tantumque eas diligis, quantum ab illis probaris. An quisquam studia humanitatis professus non cum omnia tua, tum vel in primis laudibus ferat admissionum tuarum facilitatem?" Ipsa ratio loci ostendit, quanta sit cautione adhibendus.

8) Plinius *Epp.* II. 20. 12.

9) His laudibus Martialem suum ornat Plinius *Epp.* III. 21. 1.

10) *Epigr.* VIII. 56. Laudat idem *Epigr.* VII. 62

Perpetui nunquam moritura volumina Sili.

11) Plinius *Epp.* VI. 21.

12) Ibid. I. 13. Ceterum ex his *Epistolis* ad poetas huius aetatis referendi sunt OCTAVIUS (I. 7. 5; II. 10), CANINIUS (VIII. 4; IX. 33. 1, 11) et L. VERGINIUS (V. 3. 5; IX. 19. 1), omnes RUFI cognomine; quorum quidem Verginius, Plinii tutor, is est qui Iulium Vindicem proelio superavit, celebratus in *Historiis* Cluvii Rufi (IV. 19. 5) et oratione funebri a

Corn. Tacito Consule laudatus (II. 1. 6). Praeter hos memorantur PROCULUS (III. 15) et VESTRITIUS SPURINNA, poeta lyricus (III. 1. 7), SENTII AUGURINI et ARRII ANTONINI contubernalis, quorum huius Graeca epigrammata et iambi (IV. 3. 4, 5; IV. 18; V. 10), illius poematia tanta praedicatione efferuntur, ut taedium potius quam fidem laudator faciat; quae tantum non omnis tollitur, lectis Augurini versiculis, *Epp.* IX. 8. Laudantur etiam lyrica et epigrammata, ut videtur, POMPEII SATURNINI, I. 16. Tandem elegi celebrantur CALPURNII PISONIS (V. 17. 1) et in primis PASSIENI PAULLI (VI. 15. 1; IX. 22. 1, 2).

13) Horat. *Epp.* I. 19. 41. Cf. *Sat.* I. 4. 73 sqq. Non mitius est Senecae iudicium *Ep.* LII.

14) Horat. *A. P.* 419—433. Rationem atque indolem harum recitationum, plerisque locis veterum diligenter collectis, illustravit Gierigius, *Excursu I in Plinii Epistolas.*

15) Scripsisse enim hos libros videtur intra triennium, quod fuit ab a. 92 ad 94, edidisse a. 95, LX annos natus, ut effecit Driesen, *de M. Fabii Quintil. vita* p. 13 sqq., refutato Hummelio, qui *Vit. M. Fabii Quintiliani*, P. I. p. 28 sqq., intra annos 87 et 89 conscriptos putavit.

16) Ex *Epistolis* Plinianis apparet in eo numero fuisse POMPEIUM SATURNINUM, eundem poetam et historiarum scriptorem (I. 16. 2 sqq.), FRONTONEM CATIUM (II. 11. 3), SALVIUM LIBERALEM (II. 11. 17), LUCCEIUM ALBINUM (III. 9. 7), VALERIUM LICINIANUM (IV. 11. 1), IULIUM AFRICANUM et PASSIENUM CRISPUM (VII. 6. 11). De SILIO ITALICO supra memoravi p. 38 ex Martialis *Epigr.* VII. 62. Valde etiam excelluisse dicendi facultate M. AQUILIUS REGULUS videtur, non virtute nec honestate morum: uter enim hac in re maiore fide dignus sit, Plinius (I. 5; II. 20; IV. 2, 7; VI. 2) an vanum et locupletem hominem fortasse fautorem expertus Martialis (*Epigr.* VII. 5—8; VIII. 11), quaerere nihil opus est. Nec dubito ad insignes eius seculi oratores referre Plinii contubernalem VOCONIUM ROMANUM, ad quem scriptae sunt *Epp.* I. 5; II. 1; IX. 28, Prisco Neratio ICto diligentissime commendatum II. 13, et MESSIUM MAXIMUM, cuius et libros Plinius valde probabat (IV. 20; IX. 1) et indicio plurimum tribuebat (VIII. 19). Cf. adnot. Gierigii ad II. 14. Denique de SARDO (IX. 31), APPIO (IX. 35) et IULIO AVITO (V. 9. 5) incerta sunt omnia.

Cum oratoribus iungere iuvat, quia suo iure iunguntur, ICtorum huius aetatis nobilissimos, quorum quidem nomina nunc mihi suppetunt. Primus sese offert Salvii Iuliani praeceptor PRISCUS IAVOLENUS (Plin. VI. 15. 2 sq.), cuius *libri ex Cassio XV* aliaque scripta saepissime in *Pandectis* laudantur. Memoratur in iisdem, etiam ex Plinio (VI. 5. 4 sqq.) cognitus, IUVENTIUS CELSUS, cui statuam Traianus posuit (Xiphil. ex Cass. Dion. LXVII. 16). Inclaruit porro T. ARISTO, ad quem sunt Plinii *Epp.* V. 3 et VIII. 14, cuiusque laudes haud vulgares leguntur I. 22. His adde supra commemoratum NERATIUM PRISCUM, quem Traiano Imperatorem successurum fuisse multi opinati sunt, teste Spartiano *Hadrian.* IV.

17) Plinius *Epp.* V. 5. 1, 3.

18) Ibid. I. 17; VIII. 12.

19) Ibid. IX. 19. 6.

20) Vid. Quintil. *I. O.* I. 4. 2, 3.

21) *Dial. de oratt.* XXIX s. f.; Quintil. XII. 11. 14.

22) Servius ad Verg. *Ecl.* II. 65.

23) Gellius *N. A.* XVII. 1.

24) Quintiliani verba sunt, quae leguntur *I. O.* II. 4. 5.

25) Solet etiam Plinius, in poetis maxime, tam diligenter adnotare, quem veterum assequi singuli studuerint, ut eam rem fere religioni habuisse videatur. Sic v. c. Pompeium Saturninum et Sentium Augurinum Catulli Calvique aemulis adnumerat (*Epp.* I. 16; IV. 27); Passienum Paullum aemulatum refert in elegis Propertium, a quo genus duceret, in lyricis Horatium (IX. 22). Ipse ab exemplo Ciceronis quantopere pependerit quid ostendam?

Neque tamen haec ideo a me commemorata sunt, ut civitatis gubernatores ab omni omnino suspicione errorum tum in aliis rebus procurandis tum in ordinanda institutione tuerer. Contra se res habet. Et de EWYCKIO

si quaeritur, fieri potest, ut interdum fidem habuerit iis, qui postea hac fide se indignos esse probarunt. Scilicet homo fuit ille, cuius memoriam commendamus. Quidquid autem est, eum semper optima quaeque spectasse, adversarios autem, consiliorum eius honestate prorsus spreta, id egisse ut, quaecunque suis commodis adversarentur, atro carbone notarent, hoc, si quid aliud, omni dubio maius est. Atque haec causa est animi parum aequi, quo inprimis post annum 1828 in Provinciis Regni meridionalibus excepti sunt eius institutionis emendandae conatus. His conatibus, etsi benevolentiae plenis et ad animos placandos comparatis, haud fidendum esse, quin ortos eos esse ex impuro, nescio quo, fonte, malevolentia spargebat.

Foedus eorum, qui pendent ex Clericorum auctoritate et hominum, quibus libertas in ore est, constat ex partibus adeo diversis, ut sola contineatur sociorum voluntate evertendi praesentem rerum ordinem. Nostra nos aetas luculentissime docuit, indolem utriusque partis stabilitatem amicitiae respuere. Sed notissimae illi, quae tunc in breve tempus inita est, societati tribuendum est, EWYCKIUM, etsi libertatis amantem illius, quae toto coelo a licentia differt, et vero progressuum in omni causa vindicem, habitum esse vel laudatorem vel certe reum universae administrandae rationis, quam multum abest ut omni nomine probarit.

Quis fuerit horum omnium eventus, fugit neminem. Rerum in Francia anno 1830 conversionem excepit seditio Bruxellensis, quae brevi per omnes Belgii partes pervasit. Non solum civitatis administrationi, sed etiam multorum civium saluti variisque institutis publicis gravissimum imminebat periculum. Et horum quidem pars haud exigua EWYCKII curae mandata erat. Itaque officii memor in maxima omnium perturbatione ipsaque anarchia tantum, quantum turbis eripi potuit, servare ab interitu conatus est. Professorum originis Batavae, qui in Belgii Academiis docendi munere fungentes derepente de statu suo deiecti erant, conditionem ad se pertinere existimavit eosque ratione ipsis digna adscribendos curavit Academiis patriis, quibus haud pauci eorum decori et ornamento fuerunt. Neque neglexit thesauros naturae, artis et eruditionis in Bibliothecis et Museis asservatos, eaque in re non magis vigilantia eius quam honestas spectata est, curantis quippe, ut quae Belgii Academiis vel Museis data promissave

erant, ibi aut manerent, aut serius ocius in locum destinatum pervenirent. Sic EWYCKII in bona fide tuenda religioni Observatorium Bruxellense unum e praestantissimis instrumentis acceptum refert.

Rerum publicarum conversio et alias attulit difficultates et maximas postulavit impensas. Quis temporum illorum memor nescit, pulcherrimum illum, qui rege ad arma vocante conscriptus est, exercitum brevi aerario tanti constitisse, ut caeteris impensis omnibus modus esset faciendus? Hanc parcimoniam primum experta est institutionis, artium et doctrinarum causa, qua munificentissime tuenda GUILIELMUS I primos regni sui annos illustraverat. Mox visum est Regi abrogare munus *Administratoris*, quod EWYCKIUS per septem annos egregie gesserat. Quamquam a Praefectura rerum domesticarum non separatus est, sed titulo *Consiliarii* ei iunctus, illis in rebus a consiliis esset, quorum antea penes ipsum cura fuerat. Intelligitis non tantum tituli, sed, quod gravius, conditionis commutationem esse allatam. Nam, quemadmodum adhuc eo principis magistratus iure eaque agendi libertate usus erat, ut, quae optima censeret ad institutionem emendandam, artiumque et doctrinarum studia provehenda, Regi *ipse* commendaret, et in nonnullis tantum causis Praefecto rerum domesticarum administrationis suae rationes redderet, ita tunc detrusus est in locum inferiorem, quo consilium Praefecto illi impertire debebat, si forte consilii aliquid ab eo peteretur. Indignum sane EWYCKIO munus! Quod tamen ipsi haud attulit ignominiam, sed intelligentissimo cuique palam fecit, in institutionis, artium doctrinarumque vigorem nullum nummum erogari posse. Verum vidisse, qui istud munus eam in partem interpretarentur, tempora mox insecuta efficacissime probarunt. Nam de Regis erga EWYCKIUM animo si quaeritur, illius benevolentiam hic nunquam requisivit. Contra, quanti eum faceret Princeps, paucis mensibus post (1832) apparuit, lecto EWYCKIO Provinciae Drenthinae Gubernatore.

Ab hoc tempore publica EWYCKII vita per longam annorum seriem parum commutationis subiit. Kalendis Ianuariis anni 1840 e Provincia Drenthina traductus est in Hollandiam Septemtrionalem, huius amplissimae Provinciae regundae causa eique hic habitus est honos, ut Consilio Status extra ordinem adscriberetur.

Meum non est, EWYCKII merita in utriusque Provinciae administratione

diiudicare. Constat autem inter omnes, penes quas hac de re iudicium est, eum hoc quoque munere, finibus circumscripto arctioribus quam Praefectura Institutionis, sic functum esse, ut in eorum virorum numerum referretur, quibus patriae nostrae gloriari liceret. Vultisne exemplum, ex quo efficiatur, quam late paterent eius curae et cogitationes? Petam illud ex earum rerum genere, quae minus notae, non vero mentione minus dignae sunt. Est in vicinia Harlemi Asylum Maniacorum, cuius ab origine non prorsus aliena sunt consilia unius e Professoribus nostrae Academiae. Ewyckius nisi huius rei curam ad se pertinere existimasset eamque omni, qua pollebat, auctoritate et constantia commendasset, promovisset omnique ursisset ratione, careret profecto patria nostra Asylo, quod hodie optimis annumeratur Europae Nosocomiis.

Multi exacti erant anni, quum ewyckio institutionis publicae cura ademta erat. Verumtamen eximiae eius rerum Academicarum peritiae memoriam tempus non deleverat. Testis fuit annus 1849, quo anno civitatis moderatoribus visum est harum rerum emendandarum consilia instaurare. Dudum ante perspectum erat, regio de Institutione superiori decreto diei 2 Aug. anni 1815 plurimum ad perfectionem deesse. Hinc anno 1828, suasore ewyckio, plurimae ad variarum Academiarum Senatus missae sunt quaestiones, ad quas ut accurate responderetur, nec tempori nec labori pepercerunt Senatores. Fructus autem quominus ex hoc labore caperentur, impediverunt dubia civitatis tempora. Et postea quidem ad emendationis consilia redire placuit, verum si disquisitionem publicam excipimus cum futuris Academiae civibus instituendam, nihil quidquam commutatum est. Sed anno 1849 spes affulsit melioris eventus. Nam decem viri, tum eruditione insignes tum periti eorum, quae Institutionis superioris indoli convenire videntur, rogati sunt, ut quod huic Institutioni plurimum profuturum esse censerent, in legis formam redigerent Regique offerrent. In horum virorum numero ewyckius fuit, ipseque Praesidis munere a Rege ornatus invitatusque est, ut deliberationum socios Harlemum convocaret, Gubernatoris sedem.

Horum virorum deliberationes non diuturniores quam graviores fuerunt. Quum summa earum in legis formam redacta Regique oblata erat, in lucem prodiit. Nullum est dubium, quin multum praestet veteri, quo adhuc

utimur, decreto. Attamen hic illic temporum, quae tunc erant, adversorum indicia tibi cernere videris. Quamobrem huic labori non statim vim legis datam esse, haud dolemus. Sed si aliquando, quod utinam brevi fiat, lex de Institutione superiori ad populi delegatos fertur, optamus profecto, ut haec pleraque contineat eorum, quae a viris illis doctissimis sunt commendata. Sic EWYCKIUS, cuius ingenium hîc quoque praestantiae suae vestigia reliquit, ad nos loqui perget, etiamsi sit mortuus.

Per quatuordecim annos EWYCKIUS Hollandiae Septemtrionali praefuerat, quum anno 1854 in morbum incidit adeo gravem, ut non procul a vitae periculo abesse videretur. Sed vanus fuit cognatorum amicorumque metus. Postquam autem ex hoc morbo convaluit, vir prudens et eum in modum suarum sibi virium conscius, qui modus non est omnium aetate provectiorum, tempus instare iudicavit, quo a republica curanda decederet. Itaque rogante ipso anno 1855 honorificentissime a Rege dimissus est, gratiis ipsi actis pro egregiis et diuturnis in patriam meritis, habitoque hoc honore, ut *Minister Status* legeretur.

Tum in dilectissimam urbem patriam, quam quadraginta prope annis ante, aetate florens et vix ingressus honorum cursum, reliquerat, redire decrevit. Traiectum venerandum senem cum laetitiae significatione excepit, et haec laetitia aliquanto post aucta est, quum ipse, qui per plures annos Academiae Leidensis Curator fuerat, hoc munere deposito, Collegio Curatorum Traiectinorum, Praesidis nomine, adscriberetur. Dici vix potest quanta cum voluptate huius Collegii socius esset. Non acquiescebat in titulo honorifico, sed ipsa muneris oficia ei in deliciis erant. Omninoque virum se probabat, cui in more positum erat manus operi admovere, quique non magis alienam industriam excitare quam industriae ipse exemplum praebere solebat. Nullus fere dies praeteribat, quin rebus Academicis operam daret. Si professores eum salutatum adibant, eum plurimum delectari apparebat mutuis de institutione deque doctrinarum studio sermonibus, hos etiam, quo maiore necessitudine secum coniungeret, nonnunquam convivio excipiebat. Tum dubium, utra nobis pluris esset, mitis sapientia senis, longo rerum usu comparata, an amicitia viri summis honoribus perfuncti omnique doctrinae genere politi.

Quum igitur die 16 m. Decembris anni 1858 nonnulli Professores ab

ipso ad coenam vocati essent, iis hoc suavissivum fore videbatur feriarum hyemalium initium. Sed dies festus non illuxit. Contra paucis ante convivium horis perculit nos et paene prostravit nuncius: — EWYCKIUS diem obiit! Pridie sub noctem subito ereptus rebus humanis erat.

Est sane quod Academia EWYCKII sui mortem lugeat. Eius valetudo, ut videbatur, confirmata, vegeta senectus, ingenium acre aeque atque ardor omnia provehendi quae bona utiliaque essent, spem nobis faciebant fore ut aliquamdiu fructus caperemus maturos arboris, quae iam uno ictu ceciderat. Eius cognati et amici et quicunque in variis patriae regionibus eum veneratione quadam prosequebantur, vehementi dolore sunt afflicti. Et quum in sepulcreto pagi de Bilt iusta peragebamus, multi a lacrymis, grati animi indicio, sibi temperare non potuerunt. Nec mirum. Animo enim observabatur imago viri indole Nederlandica unius in paucis conspicui et afferentis omnibus, qui eum paulo accuratius noverant, memoriam praestantium virorum, quorum ingenii animique viribus patria olim creverat. Cernere nobis videbamur virum illum agendi quam dicendi studiosiorem et ita pium ut bonus esse quam videri mallet, et mirae in habitu quoque simplicitati iungentem animi vim prorsus singularem, quae unicuique, ipsum adeunti, ex vultu oculisque vigore plenis apparebat, et ei adiumento atque praesidio fuit, ut egregias ingenii dotes per longam annorum seriem in maximam patriae utilitatem conferret.

Tales viri ex maxime raro hominum genere sunt. Eorum memoriam posteri, si grati esse volunt, vivam tenent.

EWYCKII exsequiis non interfuit amicorum eius antiquissimus idemque Academiae Traiectinae arctissima tum muneris tum benevolentiae necessitudine iunctus. Iam enim eo laborabat morbo, quem letalem fore paulo post perspectum est. Intelligitis me dicere Virum Consultissimum LUDOVICUM CRAEYVANGER.

Patre usus est GUILIELMO CRAEYVANGER, qui primum Curiae Traiectinae adscriptus et socius regundae regionis Traiectinae fuit, postea vero a Rege Hollandiae lectus est in Consilium Status; quo tamen munere ne fungeretur, mors prohibuit, quae anno 1806 luctuosa accidit bonis omni-

bus, acerba autem filio LUDOVICO fuit, eo ipso anno in Civium Academicorum album relato.

Hic igitur, natus die 13 m. Novembris anni 1788, EWYCKII, duobus annis maioris, condiscipulus et amicus fuit, eodemque fere quo ille tempore, i. e. die 18 mensis Augusti anni 1810 summos in utroque iure honores consecutus est. Triennio post Amisfurtam abiit, hypothecarum curam acturus, unde postea eiusdem rei curandae causa Traiectum rediit, ubi difficili huic negotio ad obitum praefuit.

Ab huius muneris laboribus prorsus diversi illi, quos CRAEYVANGERUS anno suscepit 1825. Scilicet in EWYCKII, Hagam delati, locum Academiae Curatoribus ab actis datus erat Vir Consultissimus JANUS ACKERSDYCK, quo nunc haec Academia doctore, nos Collega gaudemus. Hic autem quoties ad videndos multorum hominum mores et urbes peregre profectus erat, CRAEYVANGERUS eius in munere graphiario vicarius fuit eamque tum Curatoribus probavit diligentiam rerumque agendarum peritiam, ut die 19 mensis Novembris anni 1825 ACKERSDYCKII, ad Iurisprudentiam in Academia Leodiensi tradendam vocati, successor a Rege legeretur. Per tres igitur et triginta annos Academiae nostrae arcto vinculo iunctus fuit.

Verumtamen non fuit in eorum numero, qui acquiescunt in illis diligenter exsequendis, quae ab ipsis, quippe mercede conductis, postulari queunt. Contra nec tempori pepercit et quantum ingenio usuque valebat, id lubens contulit ad utilia quaeque promovenda. Sic, ut hoc utar, ab anno 1819 per unum deinceps et viginti annos ita cum collegis suis carcerum regimini praefuit, ut ardore et diligentia cederet nemini. Eiusdem diligentiae laudem tulit adscriptus ab anno 1825 usque ad annum 1847 Collegio urbano moderandae Institutionis inferioris. Et, quamquam in rerum Academicarum procuratione eas interdum partes egit, ut pleraque ex eius auctoritate pendere viderentur, nunquam tamen haec loci, tituło longe amplioris, dignitas eius mentem a reliqua in hac urbe Institutione avertit. Nam et constabat ipsi de summo universae Institutionis in civitate momento, et tenebat illud, Institutionem superiorem tum demum consilio suo satisfacere posse, si Academiarum cives omni, quae pueris et adolescentibus impertiri debet, disciplina rite informati excultique essent. Hoc ille saepius et magna cum asseveratione contendebat. Neque a verecundia,

quae eius memoriae debetur, alienum censemus illud commemorare, quod ipsi aliquando eum dicentem audivimus, se auctorem fuisse sententiae de disquisitione publica cum omnibus instituenda, qui se in Civium Academicorum album referri cuperent. Et licet nos huius disquisitionis, anno 1845 sancitae, formam et rationem universam a multorum animadversionibus tueri nolimus, multiplex tamen ipsius rei vis ad emendandam disciplinam scholasticam negari nullo modo potest. Ac profecto opportunitas, quam ea disquisitio praebuit, arcendi ab Institutione superiore adolescentes ineptos, longe multumque anteponenda est illis Decretis, quae, auctore regio rerum domesticarum Praefecto, ab anno 1850 ad annum 1853 imperitissimo et ineptissimo cuique liberrimum ad Academiam aditum concesserant. CRAEYVANGERO, omnibus rebus modum et ordinem adhibenti, ea, in quam detrusi eramus, conditio videbatur ἀταξία; quam eo vehementius dolebat, quo certius ipsi persuasum erat de summo Institutionis Academicae momento, quoque lubentius ipse huic prospiciebat. Affirmare licet, eum in huius rei cogitatione magis magisque defixum fuisse. Munere graphiario sic fungebatur, eum ut non magis honestatis sensu moveri quam studio deliciarum suarum duci putares. Haec est opinio illorum Professorum, qui de disciplinarum suarum commodis saepissime sermones cum eo miscuerunt. Laudant eius in audiendo benevolentiam, in consiliis impertiendis alacritatem, in annuendo votis, quae cum subsidiorum publicorum tenuitate non omnino pugnabant, liberalitatem, sed laudant etiam eius in dissentiendo et recusando humanitatem inprimisque artem illam difficillimam persuadendi rogantibus, iure meritoque haud satisfieri votis, non vero vel amicitiam vel institutorum quorundam Academicorum amorem partes hac in re agere ullas. Dicam, quod sentio, CRAEYVANGERUS ipsam Academiam diligebat; quod huius commodis et rationibus inserviebat, id omne ipsius commodorum pars magna evaserat, utraque tanquam in unum coaluerant. Hinc ea illi plurimum et ultimum obversata sunt, quum gravi mortiferoque morbo affectus et febri, quae mentem alienabat, luctatus, verba tamen protulerit, Academiae amorem spirantia.

Metus, ne quid ipsi accideret, sollicitos aliquamdiu habuit et cognatos et amicos et omnes quibus Academia Traiectina cordi est; hic autem, quum die 6 mensis Ianuarii in gravissimum luctum abiit, iudicarunt omnes ad

ingens damnum, brevi ante in EWYCKIO factum, CRAEYVANGERI obitu haud parvam allatam esse accessionem.

Quantum boni talium virorum, quos non tantum decem lustrorum amicitia, sed etiam studium commendandi pulchra et bona quaeque, atque almae matris, cuius eodem tempore alumni fuerant, amor arctissime iunxerat, quos praeterea ornarunt ingenium perspicax et aequabilis mentis constantia, talium igitur virorum de rationibus cultus atque humanitatis provehendae consensio, quantum boni in Academiam nostram porro conferre potuerant!

Sed Deo aliter visum! Nos decet animo erga Eum grato esse, qui alterius vegetam senectutem, virilem vero alterius aetatem ad senectutem usque nobis fruendam concesserit.

Quod si Curatorum Collegium annum haud exegit sine clade sua, Ordini Professorum mors non pepercit. Die enim 26 mensis Ianuarii obiit LUDOVICUS GERARDUS VISSCHER, qui per viginti octo annos in hac Academia munere Professoris functus est.

VISSCHERUS in paucis illis fuit, qui omnem, qua pollent rerum scientiam sibimet ipsis potissimum acceptam referunt. Fuit omnino *αὐτοδίδακτος*. Hinc multa eorum, quae ei priva fuerunt, facillime explicantur.

Natus est Bredae, die 1 mensis Martii anni 1797, parentibus honestis, THOMAS KROGT VISSCHER et CATHARINA DOROTHEA BOELLAARD. Patrem, centurionem, in Hollandica Anglorum expeditione caesum, bimus amisit, cui in pueri tutela successit vitricus ADOLPHUS BIERMAN, tributorum coactor in pago Lage Zwaluwe.

Adolescentulus primum Hagae Comitum tum Amstelodami usus est disciplina, qua haec aetas illis temporibus imbui solebat. Quae tamen institutio qualis fuerit, haud constat. Sunt autem paucissima ex hoc tempore memoratu digna. Hagae Comitum in notitiam pervenit HENRICI VAN WIJN et IACOBI ARNOLDI CLIGNETT, quorum sermonibus primum acceptum retulit historiae et antiquitatis patriae amorem atque cupidinem illam fontium, quam posterior aetas confirmavit. Amstelodami autem in praeceptoribus eius fuit FOKKIUS SIMONIS filius, cui quum in more positum esset seriis historiae argumentis iocos adspergere, fieri sane potest, ut haec dicendi scribendique ratio amorem excitaverit leporum et facetiarum, quibus postea

VISSCHERUM in huiusmodi argumentorum explicatione lubentissime usum esse constat.

Ea aetate, qua iuvenes destinatos vitae, cuius subsidia arte vel doctrina quadam factitanda parantur, totos in studiis esse oportet, VISSCHERUS in vitam practicam tanquam coniectus est munusque iniit ab ipsius ingenio prorsus alienum. Annos enim natus undeviginti praefectus est rationibus tributorum Bruxellis dispungendis. Equidem de huius muneris gravitate nihil detractum volo. Sed cogitanti mihi iuvenem discendi amore flagrantem, alacrem, genioque indulgendi cupidum, fervida etiam phantasia praeditum et carminum auctorem, quibus se Musis amicum esse probaverat, — hunc igitur iuvenem cogitanti parum credibile videtur, eum sive in tributorum tabulis conficiendis et comparandis, plenis illis nominum et numerorum, sive in coactorum arca exploranda lubentissime bonas horas consumturum fuisse. Hoc constat, VISSCHERUM, quidquid superesset temporis, id omne in lucro deputasse, ut deliciis suis operam navaret. Qua in re quanto studio versaretur, paucis annis post libris edendis probavit. Nam anno 1820 publici iuris fecit tum francice *Miscellanea e Poësi et Literis Nederlandicis*, tum patrio sermone volumen primum *Anthologiae ex optimis poëtis Nederlandicis inde a seculo* 13° *ad seculum* 18um, cuius operis proximo biennio adhuc duo volumina prodierunt. Sicut autem in utroque opere melliferae apis partes egerat, ita brevi ostendit, non deesse sibi ingenii vires, ut ex se ipse nonnihil promeret et in lucem proferret. Anno enim 1822 carmen eius Nederlandicum *Pastor in Campo pugnae ad Neoportum commissae* a regia Linguae et Poëseos societate Neoportensi praemio ornatum est, eodemque anno lingua vernacula prodiit carmen lyricum: *Regi et populo*, anno autem proximo e genere dramatico haec ab eo Nederlandice edita est fabula: *Reges in urbe Breda*. Sed haec omnia gravitate superat eius opusculum *de consilio instaurandi et praescribendi usum linguae Nederlandicae*. In lucem illud prodiit anno 1825, i. e., eo tempore, quo civitatis nostrae moderatores summa vel potius nimia ope nitebantur, ut, quidquid actorum publicorum in universo regno fieret, ubique his rebus peragendis una inserviret lingua Nederlandica. Non igitur mirum, VISSCHERUM, industria etiam et iuvenili vigore se commendantem, Regi GUILIELMO I aptissimum esse visum ad consilia

illa sermonis Nederlandici inducendi in Provincias Wallonicas promovenda et cultioribus civibus commendanda. Iam huius rei ut amplissima frueretur opportunitate, creatus ille est Professor extraordinarius in Academia Lovaniensi.

Dispungere rationes tributorum et vivere Musis, haec quantum distant! Inter pulpitum atque cubiculum numerariorum et cathedram atque auditorium Academicum quantum discrimen!

Nos, Auditores, qui VISSCHERUM novimus, quodammodo certe intelligimus, quanta cum voluptate illinc huc transierit. Fieri potest, ut iacturam fecerit rei familiaris, honorario quippe multis Professoribus aliisque doctis viris minus lauto quam iis, qui aerario inprimis in magnis urbibus consulunt. Sed liber ille a conferendis tributorum tabulis earumque rerum cura, quae nullum postulant ingenii acumen meliusque vulgo ab iis administrantur, quibus exiguus est doctrinarum amor, toto pectore in literas incumbere poterat. Viro haud fruito docta, ut aiunt, institutione, veterum linguarum tantum non imperito, aditus patefactus ad auditoria antiquae illius et inclytae Academiae, ut et suam ipse discendi sitim expleret et docendo aliis prodesset.

Secuti sunt quinque anni, quos vitae Visscherianae partem voces splendidissimam et felicissimam. Mirae ingenii celeritati summam iungens studiorum constantiam, quotidie sive Francica sive patria lingua coram ingenti civium Academicorum numero disserebat de lingua, literis, historia et oeconomia politica, et quidquid ei supererat temporis, id conferebat ad scribenda opuscula de sermone Nederlandico. Verum tamen consilium, cuius causa Lovanium vocatus erat, irritum fore videbatur. Postea demum nobis adeo felicibus esse contigit, ut linguam nostram ex humili loco, quo diu in Belgio contemta iacuerat, se efferentem modesteque alterum a peregrino sermone locum occupantem videremus. Seminis autem eo tempore etiam a VISSCHERO sparsi nonnihil maturuisse, profecto non est temeraria sententia.

Anno 1831, immutata in Belgio civitatis facie, VISSCHERUS una cum aliis nostratibus Professorum Traiectinorum ordini adiunctus est. Neque tamen continuo suae ei publice dari potuerunt docendi partes. Triennio demum post in ADAMI SIMONSII locum Professor lectus est Ordinarius; a quo tempore historiam, linguam et literas patrias quotannis Academiae

nostrae alumnis tradidit. Anno 1837 Senatui Academico placuit eum honoris causa creare Philosophiae Theoreticae Magistrum et Literarum humaniorum Doctorem.

Sic igitur VISSCHERUS illud, quod praecipue in votis fuit, assecutus est. Et huic quidem cogitationi iuvat paululum immorari. Namque vir ille, qui nec Gymnasii spatia decurrerat, neque Academiae Doctorem habuerat, a cuius latere non discederet, et vero iuvenis ita in medias res coniectus erat, ut omnis ingenii excolendi opportunitas defutura videretur, — hic igitur vir locum sibi in doctorum virorum ordine comparavit, a suis ipse collegis hoc nomine ornatus et insignitus hoc honore est.

Paucissima, ni fallor, huius rei in Annalibus Academicis exstant exempla. Si quis a puero destinatus vitae in literis doctrinisve degendae, optime et prorsus ad hoc consilium accommodate instituitur, tandemque, quum per multos annos in studia doctrinae incubuit, Doctoris gradum consequitur, quin etiam, si propter exquisitas ingenii virtutes postea dignus censetur munere professoris, nihil profecto est quod miremur. Utrumque in rerum ordine et ratione positum est. Via, quae ad propositum ducit, strata est, requiruntur tantum discendi ardor et industria, ut illud assequaris. Similis omnino hic est peregrinatoris, qui cultissimas Europae nostrae regiones peragrat. Naves et rhedae machina atmica celerrime propulsae, deversoria omnibus vitae deliciis grata, periti viae duces accurataeque locorum descriptiones ita omnes itineris difficultates minuunt, ut videatur illud ab habitationis commutatione parum differre, neque ullius aut audaciae sit aut fortitudinis, eo proficisci, ubi longissimo a patria separamur intervallo.

Prorsus dissimilis est conditio illius peregrinatoris, qui, sibi unice confidens suisque fretus ingenii animique viribus, iuxta avia et devia in regiones penetrat, quas penitus lustrare decrevit, ut tantillum conferret ad terrarum dissitarum scientiam augendam. Huic peregrinatori perpetuum instat varii generis certamen, nulla non impedimenta et molestissimae quaeque difficultates crebro incidunt, quibus ne obruatur, summa opus est virium intentione eaque constantia, cuius haec est, ad labores perferendos, efficacissima vox: *tu ne cede malis, sed contra audentior ito.* Vitae deliciis, quibus alter in itinere fruitur, caret alter; intervalla locorum, per quae ille volat, hic lento gradu transit; saepe in eo est ut a via

deflectat, et vero dubius saepe haeret, quo se conferat. Verumtamen si post varios casus et tot discrimina rerum inceptum iter peregit, tum vero: *quantum*, inquiunt, *mutatus ab illo!* Et sane plurima, quae vulgus peregrinatorum non animadvertit, in ipsius animo quasi signarunt speciem suam. Habet, quo ab aliis distingui prorsusque suus esse censeatur. Quod tamen unice tribuendum est repercussioni imaginum, quae secum invicem commiscentur et mutuo se tum illustrant tum obscurant. Imagines dico rerum infinitarum, ei in itinere oblatarum quas unice ea luce collustratas vidit, qua, ex loco peregrinatoris nonnihil fortuito conspectae, splendere debuerunt.

Huiusmodi peregrinator VISSCHERUS in campo doctrinae fuit. Memoria firmissima praeditus, ardore et assiduitate nemini cedens, nullisque difficultatibus deterritus a proposito, sine ducibus per hanc regionem processit sibique ingentem comparavit rerum cognitu dignissimarum copiam. Numquam acquievit in contemplatione locorum e vertice montis, neque in naturae maiestate e longinquo intuenda. Sed loca illa prope adspicere, omnia, quo oculos converterat, singulatim contemplari, amnium et rivorum flexiones persequi ad fontem, dispicere sylvarum arbores et fruticeta, aquae inter praecipites scopulos ruentis radios et guttas, haec ei in deliciis fuerunt.

Hanc singulatim quaeque attendendi et persequendi rationem VISSCHERO potissimum menti obversatam esse, luculentissime apparuit in eius studio historiae patriae. Eius memoria custos fidissima erat innumerorum factorum, quae multos historiographos aut fugiunt aut prorsus latent, et, licet per se tenuia dicantur, non tamen nullius sunt momenti, quoniam unaquaeque historia constat e coniunctione rerum singularum, quarum nulli sua defuit vis ad hanc conditionem pariendam. Novimus VISSCHERI lectiones tum Academicas tum publicas, saepius pro frequenti concione habitas, animos auditorum plurimum tenuisse. Id autem eae potissimum debuerunt mentioni nullorum non illius generis factorum, quae nec provisa et apte inserta omnibus admirationi erant, eoque magis placebant, quo acutius orator, leporibus et facetiis affluens, severa exhilarabat et ornabat exilia atque arida.

Haud raro tamen analytica illa, qua VISSCHERUS delectabatur, historiae

indagandae ratio peperit opiniones, a vulgari sententia prorsus diversas. Sic, v. c., lubentissime contemplabatur clarissimos in historia viros sine toga et discalceatos, i. e. nudatos illis divinis poene honoribus, quos grata in eos contulerit posteritas; tum enim in ipsorum consiliis et rebus tantumdem honestatis quantum in reliquorum mortalium studiis et contentionibus sibi deprehendere videbatur. Pariter in aliarum quarundam rerum tamquam cursu et significatione diiudicandis plurimum a ceteris omnibus distabat.

Sed licet se manciparet nemini et vero ius suum sententiae libere proferendae retineret, numquam tamen aegre ferebat dissentientes. Contra hos levissimo animo ferens, semper comis et ad iuvandum omni, qua valebat, ratione promtus, facilis in hominibus audiendis et admittendis, is fuit nostri ordinis socius, qui ingenii sui alacritate et facetissimi salis argutiis saepius nobis temporis suavissime transacti memoriam relinqueret.

Visscherum, in hac Academia Doctoris munere fungentem, nullo omnino tempore studia sua intermisisse optime probat ingens librorum ab eo editorum series. Sunt hi maximam partem de historia patriae, verum Literarum etiam Nederlandicarum historia ei plures symbolas acceptas refert. Scriptorum multitudine paucos eum aequasse, nobis quidem persuasum est.

Itaque a collega, vita defuncto, discamus, quantum constantissimae voluntatis robur valeat, ad insitas mentis dotes excolendas. Ea, qua vivimus aetas, haec ipsa patria indiget virorum, qui fortiter et constanter progrediuntur, hoc tenentes: *per ardua ad astra!* [1]).

---

[1]) Opera a visschero in lucem edita sunt:

Nationaal-Lied van L. G. VISSCHER. Voor de Piano-Forte in Muziek gesteld door F. VON GUNTER. Uitgegeven ten behoeve der Armen. 4°.

Melanges de Poésie et de Littérature des Pays-Bas, par L. G. VISSCHER, membre de plusieurs sociétés Littéraires. Brux. 1820. 8°. Cum eff. P. NIEUWLAND.

Bloemlezing uit de beste schriften der Nederlandsche Dichters van de 13e tot en met de 18e eeuw. 1e deel. Brussel, 1820. 2e en 3e deel. Breda, 1821—22. 8°.

Een paar woorden over Amsterdam en Brussel, bij den jongsten Watersnood. Brussel, 1820. 8°.

De Herder op het slagveld te Nieuwpoort, door L. G. VISSCHER, aan wien bij de Ko-

Mors nulli parcit aetati. Eripuit nobis venerandum senem, qui his maioribus natu aetate longe antecessit, GERARDUM DORNSEIFFEN, Literarum

---

ninklijke Maatschappij van Taal- en Dichtkunde te Nieuwpoort, eenen buitengewonen eerpenning is uitgereikt. Brussel, 1822. 8°. 2° druk. Brussel, 1822. 8°.

Aan den Koning en het Volk. Lierzang. Brussel, 1822. 8°.

De Koningen te Breda. Tooneelspel. Brussel, 1823. 8°.

Over het herstel en de invoering der Nederlandsche Taal. Brussel, 1825. 8°.

Nederlandsche Chrestomatie, ten gebruike bij het Hooger Onderwijs. Leuven, 1827. 8°.

Bloemlezing uit de Nederlandsche Dichters en Prozaschrijvers. Leuven, 1828—29. 2 deelen. 8°.

Kleine Handleiding voor de Uitspraak der Nederlandsche taal, bestaande in eene Verzameling van eigenaardige spreekwijzen. Leuven, 1828. 8°.

Handleiding tot de Algemeene Geschiedenis der Nederlanden, inzonderheid ten gebruike bij Academische studiën. Eerste cursus: Van de vroegste tijden tot op den jare 1500. Utrecht, 1832—33. 2 stukken. 8°. Tweede cursus: Van 1500 tot op dezen tijd. Utrecht 1833. 1° stuk. 8°.

Chronologisch overzigt der Nederlandsche Vorsten, in 2 Afdeelingen. Utrecht, 1832. fol. Toelichtingen tot het chronologisch overzigt. Utrecht, 1833. 8°. — Ook onder den titel: Beknopt Overzigt der Nederlandsche Geschiedenis. Inzonderheid ten gebruike bij het onderwijs en ter verduidelijking der gelijktijdige regering van Keizers, Koningen en Graven in de onderscheidene Provinciën. Utrecht, 1849. 8°.

Bijdrage tot de Oude Letterkunde der Nederlanden. Utrecht, 1835. 8°.

Ferguut. Ridderroman uit den Fabelkring van de Ronde Tafel. Uitgegeven door L. G. VISSCHER. Utrecht, 1838. 8°.

Iets over Jacob de Coster van Maerlant. Utrecht 1838. 8°.

Oratio de GERARDO MOLL. Dicta publice die XXVI Martii 1838. Hagae Comitis, 1840. 4°.

Historisch Tijdschrift, onder Medewerking van eenige Geleerden. Uitgegeven door Prof. L. G. VISSCHER, 1° en 2° Jaarg. Utrecht, 1841—42. 4°.

Natuurkunde van het Heelal door GERRART LEENHOUT, benevens eene Verhandeling over hetzelfde onderwerp, door broeder THOMAS. Uitgeg. door L. G. VISSCHER. Utrecht, 1840. 8°.

Feestlied den Koning in Mannenkoor toegezongen. Bij gelegenheid van Z. M. blijde Inkomst te Utrecht, Mei 1841. Muzijk van H. KUFFERATH. Utrecht, 1841. 8°.

Bronnen en Bouwstoffen voor de Beoefening der Algemeene Geschiedenis van het Vaderland. Utrecht 1846. 2 deelen. 8°.

Anthologie van Nederlandsche Prozaschrijvers en Dichters sedert 1795 tot op onzen tijd. 1° deel. Proza. Utrecht, 1847. 12°.

Kort begrip der Algemeene Geschiedenis van ons Vaderland, van den vroegsten tijd tot op onze dagen. Utrecht, 1848. 12°. — Tweede vermeerderde en verbeterde druk. Utrecht, 1848. 12°. — Derde vermeerderde en verbeterde druk. Utrecht 1853. 12°.

humaniorum in hac Academia Lectorem; eripuit etiam ornatissimos Academiae alumnos: GUILIELMUM VAN RIET et GUILIELMUM ELIZAM HERDERSCHÊE. Quis non dolet, illos ipso aetatis flore eo abiisse, quo tendimus omnes? DORNSEIFFENO autem, praestantissimo olim Gymnasii Traiectini Rectori, licuit per plures annos otio frui honorifico, quod nactus non torpuit, sed vigil quievit, et quum, ut ille ait, haberet aliquod tanquam pabulum studii et doctrinae, ostendit nihil otiosa senectute esse iucundius. De hoc viro, quoties gratos discipulos et amicos narrantes audimus, toties admodum gaudemus, in horum numero fore, qui vitam eius et varia atque egregia in iuventutis institutionem merita ex vero exponat.

Hoc loco quî tui immemor essem, honestissime VAN AMERONGEN, quo per quindecim annos primum Amanuensi tum Custode Musei Zoologici usus sum fidissimo. Lugent te vidua et quatuor tenellae aetatis liberi, quibus ut multi prospicere pergant, spem mihi facit tua in munere obeundo fides et religio.

Eerste Beginselen der Algemeene geschiedenis van ons Vaderland. Utrecht 1848. 12°. Tweede vermeerderde en verbeterde druk. Utrecht, 1850. 12°.

Chronologische tafel voor de Geschiedenis der Israëlieten in Nederland. Utrecht, 1850. 8°.

Leiddraad tot de Algemeene Geschiedenis van het Vaderland, van den vroegsten tijd tot op onze dagen. Utrecht, 1850—55. 3 deelen 12°.

Handboek voor de Algemeene Geschiedenis der Nederlanden en Nederlandsche Koloniën, 1e Afdeeling: 1—5 Afl. 2e Afdeeling. 1e Afl. Maarsen, 1851. 8°.

Beknopte Geschiedenis der Nederlandsche Letterkunde, 1e deel, 2e deel, 1e, 2e en 3e stuk. Utrecht 1851—58. 12°.

Voorlezingen over de Geschiedenis der Roomsch-Katholieke kerk in de Noord-Nederlanden, sedert de opheffing der Bisdommen tot op dezen tijd. In verband beschouwd met het Utrechtsch Aartsbisdom der Klerezy en de daaraan onderhoorige bisdommen Haarlem en Deventer. Utrecht 1853. 1—6 Voorlezing. 8°.

Korte schets van de Geschiedenis der Nederlandsche Letterkunde. Utrecht, 1854—57. 4 deeltjes. 12°.

Leiddraad tot de Geschiedenis der Nederlandsche Letterkunde. Utrecht, 1854—57. 4 deeltjes. 12°.

Tableaux généalogiques et chronologiques des souverains Russes et Turcs. Utrecht, 1855. 8°. Avec portrait d'Alexandre II, Empereur de toutes les Russies.

Habetis, Auditores, quae de rebus Academiae adversis in medium proferre ante duas dierum hebdomades decrevi, putans nos tristi parentalium officio defunctos esse. O fallacem hominum spem, et inanes nostras cogitationes! Duplicis enim funeris facta est accessio. Nam diem obiit Vir Amplissimus IACOBUS GERARDUS VAN NES, quem, quamquam iamdudum e Curatorum Collegio honorifice dimissum, non tamen silentio nobis praetermittere licet. Ea enim aliquando viguit perspicacitate et accurata variarum rerum scientia, ut multos longo post se relinqueret intervallo. Et harum quidem laudum vis in nullis non rebus gerendis magna est, maxima autem in rerum publicarum administratione. Quid vero, si eae praesto sunt populi delegato, viro eidem forti et constanti et patriae amantissimo? Aut fallor, aut historia patriae, ea describens tempora, quae turpi multorum metu et adulatione et silentio notata sunt, in hoc viro praedicabit harum virtutum momentum. Qua voce accepta, non deerunt qui haec addant:

Iustum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,
. . . .
Mente quatit solida.
. . . .
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinae.

Amplissimus VAN NES non ante de vitae statione decessit, quam senio confectus mortem sibi in lucro deputare debuit.

Sed exspiravit etiam vir ille dilectissimus qui nobis prospera valetudine frui videbatur, cui nemo unus mortem instare putavit. De vita decessisse IACOBUM VAN HALL nondum mente complectimur, et, tanquam absentiae causam ignorantes, illuc interdum intuemur, si forte adeat et locum suum, nobis gaudentibus, occupet. Siccine affecti, vitam optimi Collegae enarrabimus? Quum abhinc quatriduo filium viderimus insigni cum moerore ad patris sepulcrum adstantem, quumque animus nondum e lacrymis emerserit, num opportunum est de natalibus et de muneribus dicere? Frigida haec atque inepta sunt. An vero imaginem eius contemplari vultis? Sed haud scio, an haec menti, recenti clade iactatae, non magis

se conspiciendam praebeat quam superficie aquae procellis agitata, quidquam eorum, quae sunt in imo, nobis cernere liceat. Aut si qua forte opportunitas exstat hanc illamve imaginis partem conspiciendi, quaerenda haec est non in amplissimo auditorum conventu, sed in paucorum amicorum coetu, ubi cari capitis desiderium nonnihil sermonum elicit et alius ex alio modeste ea profert, quibus ipsi amicum vita defunctum maxime conspicuum fuisse censent. Equidem, Auditores, si his interessem sermonibus, quos dolendi voluptas elicit, si integerrimos HALLII amicos eius laudes ingenii animique memorantes audirem et vero his immiscentes miram huius viri comitatem et in iuvando atque adhortando alacritatem, tum vero de me ipse referrem, ut prorsus me assentiri significarem. Breviter vobis narrare iuvat, in quae mens, saepius in illis hoc tempore occupata, ibi sponte excurreret.

Abhinc duos et triginta annos primum ego, Gymnasii Elburgensis alumnus, HALLIUM vidi, modo illius scholae Curatorem lectum. Mox novus Curator idemque Iuris Professor Amstelodamensis, una cum Collega DONKERO CURTIO, Euangelii apud Arnhemienses Interprete, Elburgum nostros progressus exploratum venit. Haec probatio eam in me vim habuit, cuius memoriam nulla deleverit dies. Adhuc nos adeuntem cerno virum aetate et viribus florentem, vultu comi et ad sanitatis ruborem composito, oculis vigore plenis, cincinnis fuscis. Quaestiones eius, in paucis aptae perspicueque positae; ad quas, ne adolescentuli, Professorem Amstelodamensem suspicientes, timide et trepidanter responderemus, invitabant paene oculi illi blandi et lenis ori circumfusus risus et frons ad hilarem illam, qua pueri confidunt, benevolentiam explicita. — Quum a nobis discesserat, id ad unum omnes optavimus, ut vir ille comis, interrogandi quemque et benigno alloquio adhortandi peritus, saepius, quin si fieri posset, quotidie rediret.

Viginti uno annis post HALLIUS huc vocatus est, ad Iurisprudentiam tradendam. Sic anno 1848 mihi quoque opportunitas allata est eum cognoscendi virum, qui adolescentulum sibi devinxerat. Videbam canescentes capillos, animum videbam a iuvenili vigore nihil remotum; eadem oris lineamenta, nec pauciora in vultu benevolentiae signa, nonnihil tamen temperata aetatis ad maiorem vitae sapientiam progressione, adhuc eae

dotes, quibus iuvenilis animus allicitur. Hinc civium Academicorum, quibus doctrina sua et prudentia et exquisito rerum usu lubentissime praesto erat, amorem sibi sponte comparavit.

Vos compello, HALLII discipuli, qui dilectissimum vestrum praeceptorem lugetis. Profecto iure lugetis praeceptorem, qui difficillimam tenuit illius institutionis artem, qua non tantum viri docti, sed etiam cives ad res vitae bene procurandas apti et scholis Academicis prodeant.

Sed nobis etiam gravissima lugendi causa est. Caremus enim Collega candido, qui exquisita humanitate et affabilitate sermonis sibi quemque conciliabat, et licet prae ingenii alacritate paratus ad agendum esset, numquam tamen ad alterutram partem declinabat de via, omninoque suum cuique tribuere omnesque ferre ac pati, quibuscum una erat, quam aliis se praeponere malebat. Atque haec omnia eo pluris nobis erant, quo meliorem ornabant Doctorem Academicum. Profecto non eodem redit, quibus quis moribus et virtutibus sit, modo sit doctus; sed si doctrina vim promovit insitam, et recti cultus roboravit pectus, tum prodit illud, quod et praesens suspicimus et lugemus absens atque grata prosequimur recordatione. Nos HALLII nostri non obliviscemur, et quoties de bono Professore sermo erit, toties ex ipsius quoque imagine lineamenta peti apparebit.

Absolvimus, Auditores, de aestumatissimis viris optimisque commilitonibus, quos mors nobis eripuit. Quod si praeterea Docentium ordini nonnihil commutationis tum allatum est tum instat, id aliunde repetendum esse gaudemus. Nonnullis enim adeo felicibus esse contigit, ut aetatis annum explerent, quo vitam in docendo occupatam otium excipit honorificentissimum. In horum numero, — quod grati praedicamus, — quinque sunt Academiae nostrae Professores. Quorum quidem Viri Clarissimi SUERMAN, HOLTIUS et SWYGHUISEN GROENEWOUD iam per aliquot annos rude donati, ut diu vegeta senectute fruantur, vehementer optamus. His brevi accedet Clarissimus BOUMAN, cui nuperrime aetatem septuagenariam gratulati sumus. Sed Clarissimus LIDTH DE JEUDE ante hos paucos menses eo est relatus. Omnium, qui munere suo funguntur, Professorum diutissime

huic ordini adscriptus fuit. Nam ante quadraginta annos et amplius ex Athenaei Harderoviceni naufragio huc salvus evasit, Professoris extraordinarii honoribus insignitus. Quot commutationum in Academia nostra, hac annorum serie, testis fuit! Quantum Collegarum numerum luxit! Sed ab his vitae cuiusque longioris curis et molestiis oculos bona cum spe ad illud convertimus, quod primo praecipuoque loco spectavit. Id enim egit, ut Museum Historiae naturalis pararet exquisitae et pulchritudinis et amplitudinis. Atque hoc sic illi cessit, ut nuper a peritissimo harum rerum iudice acciperem, Museum privatis sumtibus paratum, quod illis nominibus conferri cum suo posset, nusquam exstare. Si lustranti hos thesauros dubium nonnunquam erat, magisne ipse admiraretur exempla rerum, quae in paucissimis tantum Museis asservantur, an vero exquisitam operam iis elaborandis adhibitam, illud continuo apparebat, eos illi insigni et tempore et labore et virium intentione et ipsius vitae parte, tum etiam maximis impensis constitisse.

Verumtamen non eos inde fructus cepit, quos hac senili aetate plurimi fecisset. Contra summo cum dolore vidit, — et doloris huius socios habuit patriae et doctrinarum amantissimos viros, — moestus itaque vidit partem pretiosissimi Musei in exteras abeuntem regiones. Gaudemus autem maximam et praeclarissimam eius partem patriam nondum reliquisse, in qua ut sedem fixam consequatur inserviatque amplificandis Museis inprimis Academicis, etiam atque etiam optamus.

Bona malis mixta esse, omnibus in ore est. Et nos quidem, Auditores, hanc sententiam adeo non negamus, eam ut ipsis Academiae, vehementer afflictae, fatis probari putemus.

Primum enim, quod grato praedicamus animo, in duorum demortuorum locum viri successerunt, nobis exoptatissimi.

Hoc affirmanti mihi tu continuo menti obversaris, Excellentissimime VAN BAPPARD, quem Rex Augustissimus EWYCKIO desideratissimo, paucis dierum hebdomadibus vita defuncto, successorem designavit. Ab hoc loco et a persona mea alienum est, te in os laudare, non alienum, laudum tuarum seram optare ex hac cathedra commemorationem; non alienum, fateri Cu-

ratorum Collegii Praesidem sive EWYCKIO nostro sive Senatui Academico gratiorem legi potuisse neminem.

Haud semel regia auctoritas te civitatis gubernatoribus a consiliis esse iussit in causa institutionis superioris, eaque nuper tibi uni, Regio rerum domesticarum Praefecto, aliquamdiu mandata fuit. Vitae itaque tuae pars illis dicata fuit rebus, quarum curam, etsi arctioribus finibus circumscriptam, nunc non defugisti. Quemadmodum antea tuum fuit, omnium Academiarum commodis prospicere, ita hodie alma tua mater, quae hoc alumno delectatur, te insigni cum laetitia suum dicit suaeque potissimum causae devinctum salutat. Qui tibi annus primus ab amplissimorum honorum perfunctione aditum ad honestissimum otium dedit, hic te otii huius partem Academiae Traiectinae tribuentem videt. Est sane quod nostro omnium nomine tibi pro hac benevolentia gratias agam. Quidquid boni in Academiam conferes, id plurimi faciemus, hoc autem ut per longam annorum seriem numero multum sit, vires tibi largiatur Deus Optimus Maximus.

Quum in duorum demortuorum locum viros successisse dicebam exoptatissimos, te quoque cogitavi, Amplissime VAN HOYTEMA. Te enim a Rege CRAEYVANGERI in munere graphiario successorem esse lectum, eo impensius gaudemus, quo et peritior es rerum, quae Curatorum prudentiae sunt mandatae, et alacrior tam in Academiae commodis tuendis quam in ingeniorum cultu et humanitate quovis modo promovendis.

Ex Curatorum Collegio honorifice dimissus, Virorum Amplissimorum acta curas. Ergo probas, te ab iis persequendis, quae honestissimam utilitatis commendationem habent, tituli honore non avocari. Probabis autem tuo exemplo quam vere dicatur: „qui se ipse deprimit, extolletur." Nos enim te, Vir Amplissime, maiori prosequemur honoris significatione, quippe existimantes id te acturum esse, ut Curatoris nomine quo cares dignior etiam quam antea esse videaris, siquidem in hoc vocabulo explicando sequi haud placet Grammaticorum quorundam de voce *lucus* sententiam. Nobis Curator esse non desines, i. e. vir prudens et bonus, qui Academiae *curam* habet.

Gratulantes autem tibi munus graphiarium, neutiquam optamus ut eius

officia tibi sint levia. Nam Academiae causam agimus. Haec autem quo magis viget viresque suas auget, quo saniore fruitur vita, eo magis crescit laborum tuorum ambitus. Sed hoc optamus, ut rerum agendarum multitudini valetudo et vires suppetant, utque, si nonnunquam prope a querela abesses: humeri ferre recusant, — extemplo tibi addere liceat: de Academia, nobis omnibus cara, merere conor, ut gratum eius piumque decet alumnum.

Progredimur ad studiorum praesidia, in quibus primum locum tenet Bibliotheca, quae omnium doctrinarum studiosis pariter prodest, et hoc anno prae ceteris adminiculis nostris aucta et emendata est tam librorum quam locorum ad hos disponendos aptorum accessione.

Constat iamdudum spatium defuisse, ut libri iuste disponerentur. Hinc paulatim alii translati erant in locum adeo editum, ut vertigine laborantes eos vix sine periculo ex hac vicinia tecti promerent; alii summa cum quaerentium molestia non amplius iuxta sed pone alios, et sic duplici, ut aiunt, serie, collocati erant. His incommodis subventum esse laetamur iuncto Bibliothecae amplo illo cubiculo, quod pulchritudine et apta partium divisione, veteri cubiculo longe multumque praestat. Hic tuto libros quaerere, promere e scriniis et genio indulgere licet. Armariis autem non scalae admoventur, pondere et altitudine eam virium intentionem postulantes, ut ad arcis oppugnationem aggredi tibi videaris; sed porticus sunt latae, in quas commodis gradibus escenditur. Praeterea instructum est hoc cubiculum rebus omnibus, quibus in legendo et excerpendo indigemus. Etiamne inquis: hyemali tempore iucunda fruitur aëris temperie, arte parata? Si quos proxima hyeme frigus inde pellit, hos in vicinia excipiet et fovebit, quod nunc exstruitur conclave. Haec laeti memoramus propter insignem librorum accessionem, quibus recipiendis in praesens haud obstat spatium. Et sane Bibliotheca hoc anno valde locupletata est tum prudenti variorum subsidiorum publicorum usu tum Academiarum exterarum et Societatis, quae a permutando nomen habet, munificentia, tum etiam donis civium nostrorum et provida Curatorum cura. Hi enim, quum e Catalogo scriptorum orientalium, a Clarissimo MILLIES confecto et Bibliothecae donato, huius in hoc doctrinae genere inopia apparuisset tanta, quanta vix

decem millibus florenorum tolli posset, constituto extra ordinem quingentorum florenorum subsidio, spem meliorum temporum fecerunt.

De donis si quaeritur: ab Observatorio Edinburgensi accepimus *Observationes astronomicas ab anno* 1834—1854; IANI HOEVENII Professoris Leidensis benevolentiae acceptas referimus partes priores operis *Crania Brittannica*, a viris doctissimis IOSEPHO BARNARD DAVIS et IOHANNE THURNAM editi. Ordo Literarum Humaniorum in hac Academia, auctore Clarissimo KARSTEN, nobis operibus quibusdam donandis gratum fecit. Gratum etiam fecerunt Viri Consultissimi EYCK VAN ZUYLICHEM et SCHULLER TOT PEURSUM, quorum hic laborum suorum fructus addidit. Ea enim, qua Bibliothecam ornavit, Eddae editio, ipsius continet Manuscripti Traiectini collationes diligentissimas. Denique Nobilissimam Matronam VAN HARDENBROEK VAN LOCKHORST bis mille florenos Bibliothecae largitam esse, ex ipsius testamento apparuit. Exemplum imitatione dignum, quo in memoriam redimus temporum illorum, quibus GUILIELMUS BOTH HENDRIKSEN, STEPHANUS VAN GEUNS, VAN LYNDEN VAN LUNEBURG aliique in Academiae Traiectinae Bibliotheca munificentiae suae monumenta posuerunt. An vero optimi viri, qui opibus pollent, existimant, iis subsidiis, quibus decessores nostri vitam Bibliothecae vix vitalem esse iudicarunt, hodie satis commode vivi posse? Non existimant. Nam pro eo quo sunt ingenii cultu literarumque amore optime norunt, intra hos triginta aut quadraginta annos incredibiliter crevisse omnium doctrinarum ambitum. Quamobrem ita nos gratias agimus omnibus, qui hoc anno de Bibliotheca bene meruerunt, ipsam ut locupletissimis patriae civibus maiorem in modum commendemus.

